AN HOMO BONVS VEL MALVS VOLENS FIAT, SIMONIS PORTII DISPVTATIO,

Ad Lælium Taurellum iuriſconſultiſs. Duci Florentinorum à Secretis.

FLORENTIAE MDLI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AN HOMO BONVS
VEL MALVS VOLENS
FIAT, SIMONIS IVDA-
ICI DISSERTATIO,
Ad Locum Theologicum de Con-
tinuis Decem Sermonibus
Accommodata.

LAELIO TAVRELLO IVRISCONSVLTISS.

FLORENTINORVM DVCI A SECRETIS,

SIMON PORTIVS S.

CVM multa sint in Philosophia, Læli doctissime, quorum alia quidem populari opinioni probentur, ut Deos esse; omnia bona ab ipsis emanare, nihil fieri, quod Deus futurum non præsentiat; omnia denique eum quem habent ordinem, ab ipsis cælitibus sortiri. Alia uerò, à uulgi opinione prorsus abhorreant, nec ab eo percipi possint: inter postrema hæc uersatur quæstio illa perobscura quidem, diúque à Peripateticis agitata, An homo sponte sua, ac uolens bonus malusúe fiat, nullis scilicet præcedentibus causis, quæ illum ad bene maleúe operandum impellant. Quod nihil aliud est, quàm quærere, An probi improbiáque naturæ quadam propensione, ac imbecillitate aut ignorantia efficiamur, nulla adhuc adhibita deliberatione: propterea quòd ignoratio ea ita insubstantia nostra immisceatur, ut ab ipsa absolui liberariáque nequeamus. est enim ea animalibus maximè propria, in eaque diutissimè anima detinetur, uelut Aristoteles tertio de Anima docuit. De qua quidem re, cùm maximi uiri inter se plurimum dissentiant, perdifficile est aliquid pronuntiare. Cùm interim eius inquisitio cunctis artibus sit utilissima; atque in ciuili administratione, potissimùm à Legislatoribus summa diligentia examinanda.

Nanque si inscij inuitique operamur, qua de causa pœnæ, præmia, honores, dignitates constituuntur: leges aliæ atque aliæ condunturᵛ, quibus actiones coërceantur? præterea quamobrem, quæso, bonos laudibus euehimus; malos monemus, castigamus, plurimisque suppliciis reprimimus? quorsum denique deliberamus, aut consultamus, quum id quod ui Naturæ insitum est, flecti aut euitari, uel hominum industria commutari haud possit? Esse itaque Philosophis naturalibus quàm necessariam hanc disputationem, quilibet facilè perspexerit: nisi uelimus concedere, homines nihil cæteris animantibus præstare, ac omnibus sensuum illecebris subditos uitam traducere. Quod si esset, quis amabo reliquis eos infeliciores negauerit; si malitiam nullo artis beneficio exuere possunt? aut omnis generis uitiis irretiti nunquam ad uirtutem aspirare queunt? Et tantò herclè infœliciores existimãdi sunt, quantò animi infœlicitas quàm corporis maior est censenda. nam nihil profectò diuinum, nihil sincerum, in nobis fuerit: neque mens nostra impermista, sed corpori mancipata putabitur, quod philosophorum fere omnium consensu maximè execratur. alioqui, ut cætera omittã, frustra præclara illa de moribus præcepta, tradita essent; cum nulla ratione, ab eo ad quod Natura impellit, humana facultas abduci possit. nanque ut lepidè Lyricus poëta cecinit,

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit.

Adhæc irrita fuerit Orthodoxorum fides: inutiliter quoque theologi sanctissimi, studium, diligentiã, omnẽ denique mentem suam adhibuerint, ut animum ac uoluntatem nostram purgarent, dum Deum ritè colendum, omnes animi affectiones ac perturbationes è medio tollendas esse persuadent. Parum quoque fœliciter tot librorum uolumina, id docentia ediderint, si aliò diuertere quàm quò Natura rapit, non liceat.

Quare cùm hæc mecum animo uoluerem, parumque explicata animaduerterem, animum ad aliquid de iis commentandũ appuli; ut his feriis, quibus quotidianas nostras intermittimus lectiones, ocium in honestum negocium conuerterem. Deprompsi igitur hæc, minus quidem elaborata, & parum grauiter, nec satis copiosè examinata: sed nuda, nulloque orationis compta lepore, prout temporis breuitas tulit, & philosophiæ grauitatem decet. At qui ut ornatũ eruditionemque nanciscantur, tu, cùm à grauibus & forensibus negociis feriaberis, quod rarò contingit, pro acerrimo tuo iudicio efficies. Quòd si abs te probari sensero, animum ad liberum arbitrium expetendum addideris.

Vale. ex Academia

Pisana.

De Stoicorum sententia. *Cap. I.*

TOICI, qui in nobis virtutum vitiorumque causas collocant, atque ea nostra deliberatione confici credunt, quædam in nobis esse, quædam verò minimè asserunt. Atq. ea quæ in nostra sunt potestate, in opinionem, conatum, appetitum, & declinationem partiuntur. Opinari nanque in nobis est, quando volumus; sed non est in nostra potestate rectè opinari, cùm volumus, sed quando ratio, quæ nos persuadet, rebus ipsis ex æquo respõdet. Conatus porrò, cùm sit animi consilium, ac mentis perquisitio, ad formandam electionem, in nobis quoque est situs, ac nobiscum, nulla impellente nec prohibente causa, externa connascitur. Appetitus item cùm sit propensio ad rem, & ipse nobis snbiicitur. Declinatio denique, quæ appetitui contraria est, & auertit ac deuitat, eadem ratione in nobis esse dicetur. Verùm si quis instaret, quòd ea quibus capitur, & ad quæ fertur appetitus, opinio, & dsclinatio, sint extra nos: ei ex Stoicorum sentẽtia respondendũ erit, res externas non agere in animam, sed excitare; quòd sua natura moueatur, corpusque iccirco moueat. Natura igitur agit ratione organorum, quibus vtitur, vt & Simplicio placuit. Quare motus animæ, ab anima proficiscitur, licet ad exercendum à rebus extrenis cieatur. Porrò opinionem primam statuerunt, quòd eam, cùm fuerit persuasa, se-

quatur fides ; quæ vt docet Philosophus libro tertio de Anima, est assensus qui fit à ratione, Cæterùm cùm alia atque alia sit hominũ temperies, fit vt non eodem modo omnes homines assentiantur; siquidem qui pituitosi sunt, vel leuibus argumentis persuasi facile acquiescunt: At serius melancholici, qui ægrè persuadentur, licet persuasi, diu persuasioni adhæreant. Idem vsu venit etiam natura timidis, & qui curiosius res inuestigant: attamen vbi semel assensum præstiterint, pertinaciter retinent, atque id ob temperamenti frigiditatem, frigidi nanque est retinere. Qui verò sanguine aut bile abundant, mediocritatem amant: hinc fit, vt suas opiniones non ita acriter, & proteruè defendant. Opinio ergo, cùm electioni & voluntati quasi lumen præbeat, reliquas facultates præcedat necesse est. Hanc sequitur ex Stoicorum placitis animi conatus, qui inuestigatio quædam est ad electionem procurrens, ac appetitum & declinationem antecedit. Peripatetici alium ordinem sequuti sunt, atque post opinionem collocarunt appetitum: Verùm si res diligentius inspiciatur, nihil ferè à Stoicis dissensisse reperientur. Siquidem illi per appetitum, impetum quendam ac propensionem ad finem adipiscendum intelligunt. finis verò vt deliberatione prior sit, omnino necessum est esse volitum, nemo enim consultationem aggredi tur, qui finem sibi, cuius gratia id faciat, non propo suerit. At Stoicis voluntas & appetitus, est inclinatio ad rem, quæ sequitnr deliberationem, & rei consecutio. cui opponitur declinatio, quæ fuga est & deuitatio. Hanc verò posteriorem esse nemo est qui inficiatur; quoniam finis appetitio appellatur verè voluntas, quæ sit deliberatione prior. Cæterùm

vt res planius intelligatur, illorumque sententia aperiatur, primùm ponere oportet, animam esse immortalem, atque à Deo manare, sed tamen cum corpore, per sensiles qualitates, quas aquas & Lethen fluuium Platonici nuncupant, vniri. Quicquid verò ea, in hac vnione, à corpore mutuatur, id animæ proprium esse negant, cùm alterationibus subiiciatur, ac uariis de causis mutari possit: at quod non aliunde quàm ab animo oritur, nec ab aliqua externa causa impeditur, id totum suum esse asseuerant. Quæ igitur à corpore proficiscuntur, cùm mutari, & impediri queant, propria esse animæ non sunt censenda, sed quæ à Diis immortalibus consecuta est, cuiusmodi est facultas rectè opinandi, eligendi, declinandi, appetendi, simul & mouendi seipsam prius quàm aliud. Quæ omnia etiam in corpore possidet, vbi ad se redierit, & simul atque à rebus externis fuerit excitata. Quare cùm sua natura moueatur, in ea conatus voluntate erit prior. Deinde nec illud est prætermittendum, quòd cùm omne studium in illa philosophiæ parte posuerint, quæ ad mores pertinet nostrarum actionum finem, non affectuum mediocritatem, sed omnium perturbationum carentiam statuerunt. quòd anima hæc à corpore, velut dictum fuit, mutuaretur, illaque tristitiam multo frequentius quàm gaudium adferrent, aut certè delectationis comes dolor esset, quippe concupiscentia, ira, reliquique affectus à sensibus ortum ducunt, non à ratione & voluntate, quæ animæ sunt peculiares. finis itaque actionum cùm non sit mediocritas, sed indolescentia quædam, apud eos homines nullis ducentur affectibus, nullaque tentabuntur libidine, nisi fortè efferi, quique ferinis moribus assueuerũt. quin

etiam

etiam filiorum sororum, fratrum, coniunctissimorum denique mortem æquissimo animo ferent. Vt qui non dolere dedicerint. Atque ita cæterorum quoque affectuum, puta iræ, auaritiæ, libidinis erunt expertes: cùm eadem omniũ sit ratio. Porrò quod de rebus fugiendis dictum est, idem de assequendis ac expetendis dicendum. Itaque ex Stoicorum dogmate, in nostra erit potestate, & libertate, vt volentes non modò mediocritatem adipiscamur in affectibus, verùm etiam insensibilitatem. Quam hæresin olim Pelagius sequutus, putauit nos tum virtutes, tum summum bonum, & quod Latini quidam meritorium vocant, nostra facultate consequi posse. Quòd si gratia Christi accederet, per eam omnia fore faciliora: sine ea tamen posse nos ad cœlestem gloriam euehi, idque nostris viribus. Quod execratur Diuus Paulus, exclamans Christum gratis mortuum esse, velut libro de hominis arbitrio disseruimus.

Quid Plato senserit. *Cap.* II.

ETsi interdum Plato nihil ferè à Stoicis dissentire videatur, vt facilè hinc inde colligitur, in dialogo tamen qui Menon inscribitur, illorum sententię non adhæret, cùm dicat virtutes nobis natura, & eius facultate non contingere. Præterea cùm probabilibus rationibus differat virtutes non est scientias, minimeque posse doceri: negare videtur, eas natura comparari, sed forte diuina & cœlitus nobis infundi, vsum tamen nonnihil ad eas illustrandas conferre, si quis diutius iis assueuerit. quod in Theage docuit. In Protagora porrò inquit, Plurimùm optimos esse illos quos Dii diligunt: vbi vt plurimum adiecit,

quoniam fieri bonum posſibile, esſe fatetur, difficile tamen, & vt plurimùm donum esſe diuinum. Quod confirmatur non leui ratione: quoniam vt Simonides ait, Arduum eſt esſe bonum aut talem permanere, vt euentibus multis & variis casibus non succumbat: vel saltem ob id quòd non nisi cum maximis laboribus in talem euadit; vt ob id rectè subdiderit, quòd solus Deus hoc munere fungitur: quasi humanum non sit eo in habitu perseuerare ac mente quadratum esſe atque omnibus probitatis numeris absolutum. Simonides itaque virum bonum fieri difficile putabat, & bonum permanere impoſsibile, ob multos casus quibus circumuenitur: posſe verò aliquando malum effici. Videtur nihilominus eodem dialogo, vbi de malitia & vitio loquitur, sentire, neminem sponte malum fieri. nam cùm Poëta ille dicat, laudandum esſe qui nihil sponte turpe operetur; perinde id dicit, ac si quis esſet, qui sponte sua mala faceret. Arbitror equidem, inquit, Plato, sapientem nullum putare esſe hominem, qui vltrò aberret, mala quę & turpia sponte committat. Sciunt enim sapientes, omnes, qui mala perpetrant, præter voluntatem & inuitos ac inscientes peccare. Quare nono de Legibus, necnon & in Sophista concluſit, nullum volentem peccare. Et ratio in promptu eſt; verùm vt eius vis apertius intelligatur, sumendum eſt primùm, nos omne id, ad quod sponte nostra ferimur, tanquam bonum affectare. Quare si quando ad malum quoddam propensi trahimur, id boni aliquam speciem præ se ferre neceſse eſt. cùm verò malum esſe non cognoscamus, non dicemur volentes id appetere, sed potius ob animi imbecillitatem ac ignorationem. ignorantia quippe non eſt voluntaria. nam quis

quæso eam desiderat, cùm omnes homines naturæ cognitionem expetant? Amplius nemo vult id quod ignoratur; at malum quia malum ignoratur, igitur nemo est qui id velit. Atque si quis id agit, non vt malum, sed vt volitum vt ita dicam agit. Aristoteles hoc vniuersalius expressit, & longè efficacius, velut post audietur, quod Plato nono de Legibus vitio solùm adaptauit, vbi vitium esse inuoluntarium persuadet, eo quòd sit morbus, & nemo morbum vltrò expetat. Et quanquam quis morbi ipse sibi est causa origoque, nescit tamen se ob hoc aut illud victus genus in morbum prolapsurum. Ad hæc, quod ab animi perturbationibus tumultuantibus, quæ cõsilium mancipant; & rationem velut Aristoteles tertio de Anima docet, quasi nebula quadam obtegunt, proficiscitur: nemo id habitum aut operationem voluntariam esse affirmauerit, ni fallor. Vt enim qui tetro carcere ac vinculis detinetur, vi & præter voluntatem agere dicitur, vt satis iudices declarant, qui si quam eum sponsionem facere, aut aliud quippiam in quo libertas agendi desideratur, præstare cupiunt; liberum compedibusque solutum dimittunt. Ita cùm ratio affectibus premitur, ac illis quasi vinculis coërcetur, quicquid ab ea emanat, inuoluntarium erit, quod liberè opus suum non absoluat. nam vt in intuente per vitrum viride, cui omnia viridia apparent, visus non dicitur legitimus. ita opinor nec rationis opus legitimum appellatur, aut voluntarium, quod ipsa affectibus præpedita exercet, quoniam per quandam quasi caliginem tunc contuetur. Verè itaque voluntaria ex Platonis decreto illa erunt nuncupanda, quæ à recta ratione, nullo affectu aut ignoratione irretita, sed libera, non autem turbata ele-

ctione fiunt. Atque ob id Aristoteles libro tertiō Ethicorum, liberius velut paulò ante monuimus, pronunciauit, quòd nec virtutes nec vitia à volentibus nobis exerceantur: propterea quòd non sint in nostra manu species rerum, neque dominemur iis quæ nobis quotidie occurrunt, & ad quæ animus noster vi quadam naturali impellitur. nanque ab ipsis speciebus eius facultates, & potissimum intellectus siue volens, siue intelligens mouetur. Deinde cùm species facultates perficiant, necesse est vt in species tanquam in perfectionem suam propendeant ac inclinentur. Primus tamen facultatum motus est naturalis: atque eam ob rem Theologi nostri primos motus in nostra sitos esse potestate negarunt. Quare cùm tales simus, quia finis eiusmodi nobis appareat, nō erit in nobis positum, vt finis aut obiectum immutetur, aliterque appareat. quocirca neque in nobis erit fieri bonis. Verùm si, quod apparet bonum, contingit esse verè bonnm, ipsi quoque euademus boni: sin apparēs quidē est, nō autem verè bonū, erimus mali. At verò qui naturā nactus fuerit imbecilliorē, minus vtrūque dignoscet: atque iccirco, cùm voluntas sequatur cognitionē, deterius ferè eliget, idq. prosequetur. naturæ siquidē imbecillitas, ignorantiā parit: ignorātia verò euitationē potioris boni, & inclinationē ad maius malū, quod interdū sub tenui boni specie delitescit.

Quòd tum Stoicorum, tum Platonis decreta, in aliquibus deficiant. *Cap. III.*

CAeterum si hominis naturam presius inspexerimus, neque ad extrema eam distrahere voluerimus: multa profectò tam in Stoicorum quàm Platonis decretis offendemus quæ parùm cum ratione consentiant, aut veritati respondeāt. nam cùm homo naturam nactus sit ambiguam, (idque si intelle-

ctum posſibilẽ atque animã ipſam minimè corruptio ni eſſe obnoxiam ſtatuerimus: ſin minus, quod fortaſ ſe Ariſtoteles ſenſit, aliter erit dicendum.) anima quo que eius facultates habet partim cõmunes cum brutis ac plantis, partim ſibi propriam, qua cæteris animantibus prẽſtat, intellectum ſcilicet ipſum, quem vt cum ſupremis intelligentiis obtinuit ſimilem, ita & actum, ipſum videlicet intelligere, cum iiſdẽ eſt partitus, licet modus intelligendi in vtriſque longè differat. Homo itaque ex anima ac corpore cõflatus, cùm non ſit purus intellectus, nec ſimplex ſenſituum, medii rationem inter vtrunque retinet. Quare & actus eius proprius erit, tum in actiuis, tum in ſpeculatiuis operatio quædam media. Quinetiam partes eius altera ab altera viciſsim afficientur, ratioque ſenſus naturam, ſenſus verò rationis interdũ induet. Quod Ariſtoteles ſignificauit, cum inquit, ſensũ humanũ eſſe rationalem, nimirũ quòd rationi pareat, atque ab ea tãquam à norma quadã dirigatur. Dicitur autẽ ratio ſenſus conditionẽ ſubire, & vt ita dicam ſenſificari, cum à ſenſib. afficitur illorumque illecebris irretita, ſenſus naturam ſequitur: vel, vt quidam dicũt, quoniam ſenſilia rimatur, atque ipſa intellecta à ſenſibus ortũ ducũt. quin potius quicquid intelligit, id omne ab iis quæ in ſenſibus apparẽt promanat. Quod tamẽ Simplicio, pluribusque aliis non placet, qui cenſent intellectum ſeipſum & mentes illas ſupremas nulla ſenſuum ope quandoque intelligere. cum ſcilicet omnibus omniũ ſenſibilium cognitionibus refertus, cum illis vnitur; vel ab omnibus his ſeparatus atque abſtractus ſeipſum intuetur. Verùm hi dum Platonem ab Ariſtotele nihil diſſentire docent, aut Philoſophum cum ſacris noſtris literis conuenire,

perſuadere conantur, decreta interim confundunt, vno Alexandro excepto, qui ſolus mea quidem ſententia, Peripateticorum placita mordicus defendit; vt aliàs, cùm librum Ariſtotelis, qui de Anima inſcribitur explicarem, fuſius demonſtraui. Quare ex Ariſtotelis opinione præſtat dicere, humanum intellectum in ſenſibilibus intelligibilia apprehendere, ac ſenſuum beneficio, ad ſupremarum intelligentiarũ cognitionem, viam ſibi ſolùm ſternere. Vt igitur ad inſtitutum redeamus, intellectus vnitur ſenſibus, rationiſque obiectum eſt ſenſibile, vel quidditas rei ſenſibilis, (vti enim liceat noſtris, & vulgo iam tritis vocabulis) & per eam ſenſus hominis fit rationalis. quoniam ratio eſt veluti pædagogus, cui ſenſus obtemperant. Operatio porrò ſecundum virtutem cùm ſit communis vtrique, communis quoque appellabitur. in hac, cùm ſit actus mixtus, ratio ſe habet vt forma, & affectus vel actio vt materia. Hinc intelligitur, quare quòd Plato in Protagora dixit, Prudentiam eſſe totam virtutẽ, vel virtutis maximã partem, Peripatetici dicant, prudentiã eſſe formam, & ſenſus affectionẽ ac actionem, materiã. Quoniam igitur homo ex diſcrepãtibus cõſtat partibus, inter ſe inuicem complicatis, vt facultates vnius animæ; motus ambarum naturam ſequetur. nam vt Ariſtoteles libro primo de Cœlo declarauit, motus ſimplicium eſt ſimplex, & mixtorum mixtus. ignis enim motus ſurſum, ſimplex eſt, quoniam nihil habet internum, quod illi aduerſetur, aut reluctetur. ita & terræ deorſum. At eorum quæ mixta ſunt, atque ex quatuor ſimplicibus conflata corporibus, mixtus eſt motus, quòd intus ſint plura, quorum alterum alteri renitatur, in diuerſumque rapiat. Hinc fit, vt ſi grauia

deorsum vergant, non permittant id fieri leuia. Attamen cùm difficile sit, & fortasse impossibile, reperire compositum quoddam, in quo simplicia ita ad æquilibrim ingrediantur, immisceanturque, vt nihil sit quod alterum excedat; necesse est, vt actionum ratione, alterum quoque alteri dominetur. Verùm cùm prædominantis actionis motui, succumbentis vt ita dicam motio aduersetur, & quantum potest re sistat, violenterque moueatur, mixtus quidam ex vtroque naturali scilicet & violento, nascitur, qui simplex nullo modo dici potest. Vt igitur in animali qua animal est, & potissimùm in homine multi sunt motus, iique mixti, (partes enim eius aliæ ad hanc, aliæ ad illam inclinant feruntur partem.) ita & operatio facultatis actiuæ, quam intellectum practicum nostri appellant Philosophi, mixta quædam est, in homine inquam ratione prædito, & non ex vno sensuum arbitrio, pecudum ritu, vitam agente. nam cùm actio eius sit totius, & compositi ex anima & corpore, neque animæ neque corporis propria potest esse. Quò fit, vt mixtam esse fatendum sit, & vtriusque aliquid habere, dico sensus & rationis, quorum ille materiæ, hæc verò formæ vicem supplet. Quare actio humana erit illa duntaxat, quæ vtriusque particeps est. Cæterum etsi hominem duabus partibus constare dicamus, non est tamen credendũ, eas sibi inuicem esse permixtas, & refractas: (quæ enim miscentur, franguntur, vt prolixius, cùm librum secundum de Partibus animalium interpretaremur, superiori anno disputauimus.) Sed integras esse vnius animæ facultates, vt propterea non verè quidem, sed proportione potius compositas esse dicendum sit. Hinc sit vt quoniam vtraque suis viri-

bus polleat, altera alteram interdum peſſundet. Etſi ſenſus proſternantur, totus in intelligibilibus verſatur, & ab omni ſenſu liber, vt Platonici aſſerunt, abit in Deum. Quòd ſi victoria ſit penes ſenſus, vt ratio prorſus de medio tollatur, migrat in brutum aliquod animal, & viuit ſecundum affectus. Quod Poëtæ quoque ſignificarunt, qui alios in leones, alios in vrſos, alios in aliud quodpiam ex hominibus migraſſe fabulati ſunt. Peripatetici quoque aduerſari inter ſe affectiones & appetitum dixerunt: & quoniam per rationem futurum præſentit homo, ac per ſenſum præſentem affectum ſentit: cumque ſæpenumero futurum cum præterito diſſentiunt, inter ſe contraria eſſe ſtatuerunt. Quare Ariſtoteles inquit decimo Ethicorum, actionem humanam mixtam eſſe: atque quoniam operatio intellectus ipſius ſpeculatiui ferè ſimplex eſt, eam hominis naturam ſuperare, ac Diis ſimilem effici cenſet: vt viceuerſa cum ſenſuum affectibus atque illecebris irretitur, ferinum fieri, brutisque adſimilem. Dicemus itaque propriã hominis, vt ex intellectu ſenſibusque concreti, actionem ſecundum virtutem mediam mixtamque eſſe. Veruntamen actio intellectus ſpeculatiui, quam ſupra hominem collocauimus, finis hominis eſt: (cùm id vnum ſtudere debeat, vt intellectus vigeat.) at humanæ actionis principium, eſt ipſe practicus, cuius extremum ac finis, eſt opus. Et quemadmodum intellectus, quem iam ſæpe pro philoſophantium more, ſpeculatiuum vocamus, principium eſt intelligendi, & eius finis veritas intellecta; ſimiliter vt operatur, & practicus dicitur, finem habet ipſam bonitatem. Atque hic primùm nobiſcum vnitur, atque cum ipſa luce connaſcitur. quippe prius ad ea obeunda, quæ

da, quæ ad ipsum esse conferunt, animus est applicandus: quàm ad ea, quæ melioris notæ gratia, & vt vulgo loquimur, ad bene esse accedunt, cuiusmodi sunt intelligibilia. Quod animaduertēs Philosophus, virtutem in parte hominis rationis experti, ac sensuū affectibus collocauit: non autem in affectuum carentia, vt Stoici, quòd ex eorum temperantia, vir prudens & bonus sit appellandus. cùm virtus sit motus mixtus. Quòd si eam in nudo ac simplici intellectu reposuisset, non humanam fecisset, sed hominis captum excedentem. Minus quoque rectè in solo sensus opere, hominis finem collocasset, esset enim inferior, & eo indiguus. Hinc patere potest, quare hominis natura diuina fuerit appellata, atque δαιμονιὴ cùm intellectum, rem profecto diuinam ac immistam nactus sit. Porrò qui secundum intellectum viuit, non est quidem absolutè & purus homo, sed Deo amicus, eique coniunctissimus. qui verò secundum sensus, is brutis est similis, & simpliciter malus, quoniam sensus eius non obtemperant rationi, sed ei quantum possunt reluctantur. At verò is in quo sensus cum ratione coniungitur, bonus est & malus. bonus, quando secundum rationem operatur: malus, cum sensibus ratione carentibus est addictus. Sed quamuis ipsa intellectione homo Deo similis efficiatur, habeatque ipsum intelligere commune cum Diis; modus tamen intelligendi, velut iam antea monuimus, longe est diuersus. Contrà rursus plurimùm eius operandi modus ex sensib. à brutis discrepat. homo enim suas operationes quæ, qualesq. sint cognoscit. Atq. iccirco humanus sensus, vtpote intelligendi facultati complicatus, sensus præterea cōmunis, & imaginatio, quæ in homine solùm

fingere poteſt, in aliis verò animantibus minimè; longè perfectione cæteris præſtat. Quantum itaque in intelligendi modo Diis cedit, tantum in operando brutis antecellit, quoad ſenſus ſcilicet iudicium. nam quoad paſsionem, iis eſt inferior. multa enim ſunt, quæ olfactum auditumque habent exquiſitiorem. His ita conſtitutis, etſi prolixiores fortaſsis quàm par eſſet, aut res ipſa poſtularet; quo res planius perſpiceretur, fuimus, contra Stoicos ita inſtemus. In hominis operatione eſt virtus, at operatio perfecta, eſt in affectu ſenſus. igitur & virtus eſt in affectu. Maior patet, quoniam virtus eſt habitus perfectus. quare operatio quoque virtutis eſt actio perfecta, quæ ab homine, ita vt diximus, conſtituto proficiſcitur. Minor etiam ex dictis liquere poteſt. nam ſi non eſſet in affectibus, aut eſſet ipſius intellectus ſolùm, atque hæc eſt ſupra hominem, aut eſſet ſenſus tantum, quæ infra hominem eſt. Si igitur actio virtutis eſt hominis, quà homo eſt, in ſenſu ac ratione eſt, nihilque aliud quàm affectuum mediocritas. Adhæc non eſt cum ſenſuum carentia, velut oſtendetur. quoniam in ſpeculatione contingunt iræ, cupiditates, & reliqua eiusmodi, quæ nequeãt penitus exterminari, quæque Apoſtolum eò impulerunt, vt diceret, ſentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. atque hoc ſic confirmatur. In viſceribus noſtris & in noſtra ſubſtãtia, eſt corruptio. atque vt à ſubſtantia nemo viuẽs abſoluitur, ſimiliter nec ab opere quod ſubſtantiam conſequitur, cum opus ſit & propter ſubſtantiam & à ſubſtantia. Quare ſi hæc affectuum carentia reperiretur, nec eſſet hominis ſubſtantia, nec actio. Præterea, ſi quod actionem puram omni affectu va-

cuam antecedit, non est in nostra facultate; nec operatio quidem est in nostra facultate. Sed quod necessariò præit operationem omni affectu vacuam, est sensuum exercitii carentia, quæ nequaquam in nobis sita est. quare nec affectuum quidem vacuitas, in nostra est potestate. nanque vbi sensus est, vt inquit Philosophus, libro secundo de Anima, necesse est, vt sit tristitia & lætitia: atque vbi hæc sunt, est desiderium. Quòd si in nobis non esset tristitia, nec esset sensus, atque vbi non est sensus, non dicitur homo. quia intellectiuum non est sine sensitiuo & vegetali, in ipsis saltem mortalibus, velut Philosophus iam citato loco docet. Nec puto respondendũ esse, intellectum non posse quidem citra sensitiuum subsistere, quoad vitæ perdurationem spectat, quoniam per sensum alimur, iudicamus, & necessaria ad vitam sumimus: posse tamen nos affectuum motu illo turbulento carere, puta iracundia, ac cupiditatis æstu. Siquidem hæc responsio si satis perspicio seipsam agitat ac iugulat. nanque si necessarius est potus ac cibus, necessariæ quoque sunt perturbationes. Adhæc, si in manu nostra non est, iuuentutem, aut senectutem ingruentem impedire: nec penes nos erit, cupiditates coërcere, ita, vt omnino nullæ sint, in iuuentute, cùm à corpore ortum ducant, atque in ea ætate sanguis ferueat, ac spiritus sint longè calidissimi, ac ardentissimi, minusque ratio polleat. Sic neque prohiberi potest, quo minus in senecta corpus ægrotet, etsi in ea ratio vigeat. Nam si in nobis situm esset, affectus exuere, cùm à corpore, causisq. naturalibus prodeant. in nobis vtique esset efficere, vt iuuentus non esset iuuentus. & quamuis in nobis refrenare, modumque iis imponere, atque ad medio

critatem quandam redigere, quoad illi ætati concessum est: prorsus tamen deponere, non opis est nostrę. iuuenis enim non esset iuuenis. Eodem pacto non est nostræ facultatis, facere ne in senecta corpus langueat, & licet arte aliquid prodesse possimus, nunquã tamen ea ad iuuentutem relabetur. Præterea si in iusta agente non adesset odium & amor iniustus esset: quare affectus non est è medio tollendus. antecedens patet. nam si iudex odio vt dici solet Vatiniano vitium non prosequeretur; aut virtutem ac æqualitatem non amaret tenerè, Iusta agere haud posset: sed modo huc, modo illuc inclinaret. Cùm autem iudex debeat esse mensura iudicio contendentium, debet quidem, neque huius, neque illius partis causæ fauere: at in primis iniustitiam odisse, & æquitatem diligere. Ad hæc, morte filii non affici, aut omnino non dolere, iuri repugnat naturali: at ius naturale semper rectum bonumque est. igitur carere omni dolore malum est, cùm aduersetur appetitui naturali. Atque iccirco Aristoteles quarto Ethicorum, dixit eum qui non dolet & tristatur, aut gaudet, de quibus oportet, & quomodo oportet, & quantùm, & quibus, esse prorsus insensatum. Possem hic multa præterea afferre, eaque rationibus ac exemplis confirmare, verùm ea cumulatissimè Plutarchus Chæroneus eo libro quem de Virtute morum inscripsit col legit. quare libens ipsa prætereo. Addam tamen vnũ, quòd si hanc sententiam tutari vellemus, sequuturum esse, omnes virtutes, vnam esse, aut habitudine solùm inter se differre: quinetiam mediocritatem esse vitium, ac plura alia, ab instituta nostra disputatione aliena. Præterea, (nam ne hoc quidem silentio prætereundum.) Simplicius in interpretatione Epi-

Aeti, asserit, non omnem appetitum ortum trahere à carentia: quòd Deus nullo careat, & tamen appetat. Sed huius sententiæ omnis philosophorum schola aduersatur. Inquit enim Aristoteles, libro tertio de Anima, appetitum esse motum ad rem. motus autem omnis fertur ab illo quod non est, ad illud quod est: vel ab illo quod est, ad illud quod non est. Erit igitur appetitus, quoniam omnis cietur ad bonum, ab ipso quod non est, ad illud quod est. quare à priuatione ad habitum. Est ergo carentia, à qua appetitus promanat. Deus porrò expers est appetitus huiusmodi, mouetque propter finem alterius, qui est ipsemet Deus. Ipse autem & voluntas eius est actus, quamuis sit libera. At in illis est appetitus, de quo est præsens sermo, quæ moueatur ad finem sui adipiscendum, non autem alterius gratia. Cùm itaque hęc huic disputationi satisfacere existimem, liquet nihil moueri ad id quod iam obtinet. frustrarius enim & inanis esset eiusmodi motus.

Contra Platonem. *Cap.* *IIII.*

IAm verò id quod. sæpe à Platone repetitur malum scilicet fieri boni ignoratione, vel quòd non intelligat id esse malum, non probatur Aristoteli tertio Ethicorũ. Nam cùm ignorantia sit animi morbus; ac ipsi multarũ corporis ægritudinũ nobis simus authores: ita & ignorãtiæ nobisipsis erimus causa. et si in nobis est ignorãtiæ causa, volẽtes & ignoramus, & mali sumus. Attamen datur quædã ignorãtia, cuius causa non est in nobis, quam. Theologi Latini

vocant inuincibilem. Atque ea ignorantia, quæ noſtra ſegnitia acquiritur, cùm multari ſoleat; mala: & ignorans huiuſmodi malus merito cenſendus eſt, cùm legibus puniatur. Illa verò quam inuincibilem diximus, inuoluntaria eſt: de qua fortaſſe Ariſtoteles loquutus eſt, cùm ait, inuoluntarium eſſe illud quod aut vi aut ignoratione fit. Demonſtremus itaque non omnes qui mala patrant, ignoratione quòd mala ſint delinquere, imo ea probè cognoſcere. Primùm qui poſt admiſſum peccatum ſeſe increpat, non puto ignorans peccaſſe dicetur. nam ſi quis æger, ſiti intolerabili crucietur, & frigidam à medico interdictam hauſerit, is intelligit ſe erraſſe & ſui erroris pœnitet. quare inſcienter peccaſſe non eſt credendum. Adhæc ægri quoque illi, qui amicos & aſtantes rogare ſolent, vt quæ lædere & obeſſe ſolent, è conſpectu auferant: ſi quando impatientia victi, ea blanditiis ſuis ſibi porrigi fecerint, ſatis oſtendunt, ſe non inſcientes peccare. Deinde qui Diis ſupplicant, vt meliorem dent mentem, vt in poſterum ſapere poſsint, atque à peccatis abſtinere; ii ſuorum peccatorum ſibi conſcii ſunt, & ſcientes ſe peccare fatentur, cùm dicant ſe ſuæ mortis eſſe cauſas. Præterea planius quod dicimus in amantibus id deprehenditur, qui qua poſſunt diligentia ſuos amores occultare ſtudent, quòd eos pudeat, ac ſe peccare intelligant: licet voluptati ac libidini reſiſtere nõ potentes, affectibus cedant, ac vinci ab iis ſe patiantur. Poſt hæc natura in omnibus eſt ad bonum propenſa, igitur omnes malum cognoſcunt, niſi habitu mali ſint, aut alioqui natura orbati. Antecedens cõ firmatur ab Alexãdro, libro quarto Quæſtionum naturalium, ſigno euidenti. quoniam qui peccant, lau

dant eos qui non peccant. quare cognoſcunt id eſſe malum. Patres quoque ab iis in quibus ipſi delinquunt, filios coërcent. cognoſcunt igitur apertè ab iis abſtinuiſſe melius eſſe, licet trahi ſe patiantur ab iis quæ deteriora ſunt. Poſthęc ipſa hominum communis vox, nonne peccata deteſtatur? nonne leges ea caſtigant? item pædagogorum informationes, patrum præcepta, amicorum monita, an non quæſo eò omnia ſpectant, vt quando bene maléue agimus, ſcire queamus? Nec eſt aſſentiendum iis, qui obiiciunt peccata eſſe violenta, aut ex habitu, qui à nobis commutari non poteſt, admitti. fateor enim ea quorum longa aſſuetudine habitum in nobis contraximus, cùm conſuetudo ſit acquiſititia natura, cum qua ita conſpirat, vt inquit Hippocrates, vt abeat in naturam, ita inſidere, vt in nobis non ſit ea deponere: attamen à noſtra voluntate primùm proficiſci, luce clarius demonſtrare conabimur. nam nullo cogente, noſtra facultate ad ea mouemur. Deinde conſultamus, & eligimus. ergo & volentes mala patramus, cùm libera ſit electio, nec vlla vi ab vllo cogi poſsit, velut dictum eſt. Amplius, antequam vitium callum faceret, factusque eſſet habitus prauus, in nobis erat non agere, vitioque reſiſtere: non aliter quàm lapidem apprehenſum in manu noſtra eſt vel eum proiicere, vel retinere; licet proiectum retrahere nequeamus. ita & habitus noſtra voluntate contrahitur, quamuis vbi ſemel in animo fuerit obfirmatus, non amplius in voluntate noſtra ſit eum abiicere, aut aliter aſſueſcere. Hoc vel ſatis manifeſto ſigno liquere iam opinor, mala quæ ex habitu quoque perpatrantur, eſſe voluntaria; rectéque legibus puniri, qui eiusmodi committunt. Et cur quæſo veniam dat cen

sura iis qui coacti aliquod facinus patrant; pœnam verò infert iis qui ex habitu, si vterque inuitus agit? Præterea, qui inuiti aliquid agunt, dolent & pœnitentia ducuntur: at qui ex habitu, non modò hos facti non pœnitet, sed feciſſe delectat iuuatque, vtpote quòd id elegerint. non igitur ab imprudentibus, aut ignoratione vel vi fiunt. Adhæc quæ ira & cupiditate facimus, volentes facere dicimur, licet sanguinis accenſio in ira ſenſum nobis eripiat; quia poſſumus non iraſci, quum inſit nobis ratio, quæ affectus moderetur. Cuius ſignum eſt, quoniam plectuntur ii, qui ira aut cupiditate aliquid admittunt: Deinde reperti ſunt, qui ex animi moderatione, melioribus aſſueuerunt. quod profecto fieri non potuiſſet, ſi affectus voluntatis rationisque imperio non ſubiicerentur. Amplius, ſi mala ſemper ſub boni ſpecie ſe nobis conſpicienda oſtendunt, in nobis non eſſet non eligere. at multa bona, & quæ bona eſſe cognoſcimus, non eligimus: volentes ergo peccamus, nec mala ſemper ſub boni figura nobis occurrunt; ſed ſub mali, quæ tamen eligimus interdum, nequitia aut affectu ita impellente, ac perſuadente. Hinc quoque perſpici poteſt, quòd ſi omne malum inuitum eſſet, atque ab ignoratione manaret, nullum eſſet puniendum; cùm nihilominus conſtet, plurima pœnis eſſe caſtiganda, ſi animus eſt, hominum ſocietatem, vt bene beateque viuant, ac vitam politicam tutari. Affectus denique voluntarios eſſe, Areopagitarum lege, qua cauebatur, ne quis proœmio, aut epilogo, aut omnino oratione pathetica vteretur, ſatis declarari poteſt. videbant enim iudices illi integerrimi, eiuſmodi oratione facilè ad odium aut amorem nos dilabi poſſe, atque à recti abduci iudicio; quòd affectus

quòd affectus qui natura nobis insiti sunt, rationem quasi submergere queant, non quidem vi, sed quòd prout fuerimus affecti, talia volentes agamus. Cæterùm huc se ingerit difficultas, quam Aristoteles quoque tertio Ethicorum agnouit, quòd si omnes expetunt finem eo modo, quo apparet; apparet autem aliis aliter atque aliter. nam qui meliori præditus est natura, meliusque affectus, is melius rectiusque eum perspiciet, ac facilius apparebit: qui verò natura est imbecillis, ac indole peiori, is non æquè eum eliget, ac ille qui est bona: quare talis erit apparentia finis, qualem sortiti sumus naturam, neque illi dominari licebit. non erimus igitur sponte mali, sed pro apparentia. Hanc autem dubitationem diluit idem Philosophus, ac multa ad eius explicationem adfert, primùm quòd hac ratione, non solùm ex ignorantia & vi, mali; sed boni quoque vi efficeremur. quando quidem finis apparet prout natura sumus affecti ac dispositi; atque eius apparentiæ tam in bono quàm malo, non sumus domini. Ratiocinatur porrò hoc pacto, si virtus sponte nostra accedit, igitur & vitiũ. reciproca enim est ratio, quia vitium virtuti ex opposito aduersatur. & eiusdem facultatis, est opposita cognoscere. quare qui volens vnum recipit, volens quoque alterum admittit, quoniam appetitus humanus vtrumque oppositorum respicit. Huc accedit, quòd cùm natura ad bonum feramur, magis ad bonum quàm ad malum ducemur, ac propendebimus. Quare si bonum est voluntarium, & malum, idque multò magis. Deinde sumus nobis συναίτιοι & concausæ habituum, (ex quibus finis accuratius perspicitur,) tum virtutum, tum vitiorum. Quòd si sumus eorum concausæ, erunt etiam in nostra potesta

te. nam ex actibus generantur habitus. Sed actus nobis volentibus fiunt, quare & habitus. quicquid enim principium est eius, quod alterius est causa, est quoque principium tertii, quod efficitur à medio. Siquidem si manus mouet vectem, quæ lapidem impellat, dubio procul manus erit lapidis motus prima causa. Pari ratione, si sponte actus exercemus, ex quibus habitus efficiantur, erimus etiam habituum prima præcipuaque causa, atque ex habitibus operabimur. Non tamen habitum esse verè causam asserimus, sed potius rationem causandi (ita enim loquimur) vt libro secundo Naturalis auscultationis aliquando docuimus, vbi Aristoteles cum causis agentibus artem quoque videtur connumerare. Per habitus nihilominus, promptè, facilè, & expeditè operamur. Si igitur id facimus cum habitibus, & actuũ habitum sequentium sumus concausæ, iure lubentes & non coacti operari dicimur. Verùm enimuero nec in principio nec in fine sumus ita habituum domini, quemadmodum actionum vnde habitus oriuntur. ob id scilicet, quòd actionum principium in nostra sit potestate. Cùm autem habitus obfirmatus fuerit, iam non amplius nostro subditur dominio. quoniam sensim augmentum capit, nobisque imprudentibus absoluitur ac perficitur. Nam vt res se habet in aqua inter cutem, hydropem medici appellãt, quæ ex aquæ nimio potu paulatim colligitur, at collecta ægerrimè aut nulla arte discutitur: ita in animi ægritudinibus euenire censendum est. Hinc facilè nanciscimur rationem, quòd quorum principia sunt in nobis, illa quoque in nostra posita sunt potestate. Sed habituum principia sunt in nobis. igitur & habitus, quoniam à volentibus incrementũ suscipiunt.

His ita constitutis, dicimus nos illius apparentiæ esse dominos. nam siue loquamur de iis quæ nobis videntur contracto iam habitu, cùm à volentibus habitus stabilientur, apparentię quoque erimus causa. Siue de iis quæ videntur nondum obfirmato habitu illa quoque ponenda sunt in nostra potestate, quoniam actiones nostro dominatui subiiciũtur. Quòd si quis instet, suam quemque naturam trahere ad malum: paucis respondendum esse arbitror, naturam propensos quidem nos reddere, non tamen vi aliqua præditam esse, quæ nos ita cogat, vt nolentes quasi obstipo capite ad malum ducamur. Hæc vt iam antè monuimus, persuadere conatur Aristoteles; & vt rem fusius explicatam, in quandam quasi summam contrahamus, septem ferè vtitur rationibus: quarũ Primam sumit à Legumlatorum pœna, qua peccantes afficiunt. Alteram, à legum ignoratione, quæ crimini verti solet. animaduertitur nanque in eos, qui post promulgatam legem, ignorantiæ titulo, se pœnam effugere posse sperant, quòd quæ publicè geruntur, neminem debeant latere, in nobisque sit ea cognoscere. Tertiam à nostra negligentia, qua affectibus habenas laxamus, vnde habitus gignuntur, qui parua adhibita diligentia impediri poterãt. Quartam ab ignorantia quæ in nostra est potestate, quæque delicti non recipit excusationem, quòd sit volũtaria. est enim altera, quæ errorem excusat, velut si quis lapidem dimiserit in locum quem nemo frequẽtare solitus est, ac casu quendam prætereuntem vulnerauerit. Quintam ab actionibus. nam si quis iniustè agat, ridiculum est dicere, quòd nolens aut imprudens id faciat, cùm ex delectu iniustus sit. Atque ob id iure optimo Pittacus ille Mitylenæus censuit

ebrios delinquentes duplici esse pœna multandos, tum ob delictum, tum ob ebrietatem, quòd scilicet volétes ebrii facti essent, ac sponte sua se vino obruis sent. Sextam à pueris & brutis, (nam puéros nihil à brutis differre dixit octauo de Historia animalium.) Si enim quiira, aut cupiditate aliquid faciunt, id non agunt sponte, pueri, qui ira aut cupiditate impulsi operantur, non agerent sponte. Postremò ex ipsius violenti significato demonstrat actiones hominis, vt homo est, non esse violentas. quoniam violentum est id quod extrà est, nihil conferente aut consentien te eo quod patitur. Cùm igitur eorum quæ à nobis fiunt causa sit in nostra potestate, non inscientes, sed volentes agere confitendum est. Hinc multa excerpe re licet, primùm, quòd cùm sit voluntas finis, & delectus eorum quæ ad finem spectant; duo sunt, volun tas finis ante delectum; & post delectum appetitio consecutionis, actionisque principiũ. Deinde, quòd quemadmodum sine voluntate finis, nemo scrutatur ea quæ ducunt ad finem: ita facto delectu, citra exquisitiorem appetitionem agit, hoc est persequitur ac declinat, aut prosequitur. Adhæc, quòd electio sit eorum quæ à nobis fieri possunt, quæque consequi valemus. nullus enim nec naturæ, nec animi nostri est rectus conatus, ad terminum quem consequi non licet. Præterea hinc patet, quatuor non esse eligenda, æterna, cùm semper fiant, & ab aliis: ea quæ à Natura, certo quodam statutoque ordine vt in plu ribus succedunt: res fortuitas, quæ nullo consilio aut euitari, aut perfici possunt, sed vel à nobis erran tibus, aut casu quodam eueniunt. non cadit quoque consilium in iis quæ ab aliis fiunt. Quare non est à nobis deliberandum, quo pacto eligere debeant qui

plagam occiduam inhabitant, cùm hoc ab illis fiat. Denique vt natura nos idoneos ad hanc illamue artem facilius capeſſendam reddit; ars verò, ad agendum ex arte. Ita natura nobis innaſcitur aptitudo habilitasque quædam ad virtutes parandas: Sed per habitum contractum poſtea agimus ex virtute. Ergo tam artes, quàm virtutes non proficiſcuntur à natura, verùm facultatem ſuppeditat ad illas ſuſcipiendas. Atque vt natura nos ad hanc aut illam artem facit procliuiores; ita ſe res habet quoad virtutes ac vitia, habitus tamen vitioſos reddit aut ſtudioſos. Attamẽ ſi hominis naturam, prout eſt animal intellectu rationeque præditum, inſpexerimus, reperiemus profectò eum ad bonum atque ad virtutem magis eſſe procliuem. intellectus nanq. ac ratio ad meliora nos rapit. Atque hæc ex Ariſtotele, ac Alexandro ſummatim excerpta, de his rebus in præſentia dixiſſe ſat ſit.

De ijs quæ in dubium uocant Ariſtotelis ſententiam.
Cap. V.

CAEterùm non deſunt, qui Ariſtotelis ſententiæ non acquieſcũt, & multis interim eam quæ ſtiunculis labefactare conantur: ac primùm id quod dictum eſt, in ſua cuiusque eſſe poteſtate quod cuiq. videtur, impugnant. ac in dubium vocant, hoc pacto. Obiectum prius mouet potentiam quàm ab ea oriatur aut formetur actio. & ratio in promptu eſt, quoniam actio ex obiecto & facultate, tanquam ex integris legitimisque cauſis prodit. Quare non eſt dicendum, quòd ſi actio eſt in noſtra poteſtate, obiecti quoq. apparẽtiam in nobis ſitam eſſe. cùm obiectum,

extrinsecus adhibeatur, moueatque secundum naturam; tum potentiam cognoscentem, tum appetitionem. Deinde quot modis dicatur ignorare, & an idem sit ignorans, & qui per ignorantiam agit, non dum explicatum est. Rursus in dubium reuocatur, qua ratione potentia virtutis susceptrix, naturaliter sit propensior ad bonum quàm ad malum; cum Philosophus sexto Politicorum, reddens rationem quare Legislator concedere non debeat, vt vnusquisq. viuat ex libito; inquit, quia omnibus hominibus insita sit malitia. & si omnibus hominibus natura insita est malitia, ergo natura proniores sumus ad malum, quàm ad bonum, cùm malum natura nobis sit inditum. Adhęc, finis hominis, vt est animal ciuile, & aptum ad cætus societatemque est operatio secundum virtutem; & vt est intellectu præditum, est scientia, & scire maxima intellectilia. nam ad hæc magis natura ferimur, cùm intellectus sit hominis forma. Sed conuertere se ad maxima intelligibilia, est auertere à sensu. igitur in philosopho contemplatiuo debet esse illa Stoicorum indolentia ac insensibilitas: nec in eo debent reperiri virtutes morales. At si hic omni dolore potest carere, possunt & cæteri omnes homines, cùm eandem omnes habeant rationem, competatque id illis ob intellectum, qui est propria hominis species. Præterea est & ratio, quòd si in affectibus & animi perturbationibus sit moderatio quædam ac mediocritas, sit & omnium affectuum carentia atque insensibilitas. nam vt res planius intelligatur; detur homo supra modum iracundus, doceatur hic ita ac instituatur morali philosophia, vt per hanc quasi per normam quandam cõpescere possit iram, eamque temperare, vt deponat

exempli & doctrinæ gratia, quatuor gradus affectus. Hic ſemper aſſueſcendo, temporis longinquitate, omnem deponet iracundiam, placidusque ac manſuetus, & indolens tandem efficietur. nanque ſi aliquot iræ gradus poteſt deperdere, poteſt & omnem iram, cùm ſint eiuſdem rationis. Sumptaque eſt hæc ratio à ſimili, qua nititur Auerroes in Auicennam, cùm ait: Si ignis deperderet aliquot gradus caloris, cùm calor in quouis ordine & gradu ſit eiuſdem rationis, poſſet & omnes amitere, fierique interdum frigidus, omnibus videlicet caliditatis gradibus exutus. Adfertur & alia inſtantia non leuis momenti. dictum eſt enim, habituum actiones ſolùm ab initio eſſe in noſtra poteſtate. ex quo planè conſequi videtur, liberam vt Latini loquuntur facultatem aliquã do deperdi, cùm electio ſequatur habitus propenſionem. Dubitatur inſuper, an eo quòd in nobis ſint habitus & paſsiones, ob id dicendum ſit, eſſe in noſtra poteſtate. Item, an electio à voluntate, vel ab intellectu proficiſcatur: & quibus de cauſis delectus dicatur eſſe mediorum, & voluntas finis. Adhuc, quamobrem homo ſit natura liber? Poſtremò, tantúmne poſsit facultas, quantum finis qui expetitur, an magis minúsue. Hæc ſi ritè diſſoluantur, & explicentur, nullus amplius dubitandi, ni fallor, locus relinquetur, totaque diſputationis huius ratio exactè intelligetur.

Quomodo prædictis dubitationibus ex Peripateticorum decretis ſit reſpondendum. *Cap. VI.*

MVlta de animi motu, in libello noſtro, quem de Animi motibus, atque in eo quem de Arbitrio inſcripſimus, olim recenſuimus: Nũc

paucis quædam quæ ad inſtitutum noſtrum facere videntur, repetemus. Scire itaque licet, intellectum moueri à phantaſmatibus, lumine eius qui agens paſſim nuncupatur. Hic porrò motus cùm non ſit imperfectus, vt Ariſtoteles tertio de Anima declarat, habet potius rationem formæ quàm agentis. atque ob id rectè dixit Auerroës, eum quoquomodo eſſe motorẽ verũ, cùm in intellectu vt in obiecto nõ autẽ vt in ſubiecto recipiatur. Hæc verò receptio, cùm ſit cognitio, & intellectio, velut latius in libro de partibus animi demonſtrauimus, ſit eadẽ cum intellectu; adeò vt intellectus nihil aliud ſit quàm res intellecta. Moto igitur formatoque intellectu excitatur appetitio obiecti. Quare cùm appetitio ſit motus, velut libro tertio de Anima docetur, perperã Latini dicunt obiectum mouere appetitionẽ, vt obiectũ. nam cùm appetitus ſit motus, motus non mouetur. Verùm dicemus obiectum ab intellectu cognitum ſuſcitare appetitionem, hoc eſt in cauſa eſſe vt oriatur appetitus illius rei. Obiectum autem eſt ipſius intellectus, qui vnà eſt facultas volens. Itaque obiectum mouet & format intellectum, & eſt cauſa, vt intellectus appetat, id eſt moueatur ad obiectum non quia obiectum ſed quia finis eſt. Tota igitur res in hoc verſatur, vt intelligamus idem eſſe intellectum & voluntatem, ſolaque ratione diſcerni. dicitur enim intellectus, vt cognoſcit; & voluntas, vt appetens finem: appetitus verò eſt actus & motus ad rem, eſtque principium motus. Atque iccirco Ariſtoteles principium mouens ſtatuit aliam eſſe potentiam ab intellectu. Porrò appetitus, vt ſequitur cognitionem intellectus, vocatur voluntas, & electio, ſi ſit conſultationis comes; vt verò ſenſus cognitionem, cupiditas & ira appellatur,

pellatur, velut aliàs docuimus. Hinc fit vt obiectum ceu cognitum tantum, non sit primùm motus principium, sed ut amatum; atque id est, quod mouet, & principium est motus. Itaque appetitus sequens rationem, est in homine immediatum vt vocant motus principium: in cæteris autem animantibus, vt quoddam amatum à sensu. Iccirco duodecimo Metaphysices, explicans Philosophus quo pacto intelligentiæ moueant corpora cœlestia & nos inquit vt amatum: volens declarare ipsas motus esse expertes, ac primò & citra motum mouere. Nec est dicendum, obiectũ eiusmodi esse causam finalem, velut quamplurimi interpretati sunt; quoniam obiectum tanquam amatum, mouet vt efficiens, vt libro tertio de Anima satis demonstrauimus. Quare cùm obiectum vt amatum moueat, amor obiecti præcedit appetitionem, quæ est motus principium. Atque hoc sibi volunt qui dicunt voluntatem esse finis, obiecti scilicet cogniti, cuius gratia fit motus. Et Auerroês obiectũ vt efficiens dicit mouere in anima: rem verò & bonum externum, vt finem, fit enim motus, gratia illius boni quod extra est. His ita constitutis, respondendum est supradictis rationibus, quod motus obiecti sit naturalis, cùm sit perfectio intellectus deinde appetitio subsequens, naturalis quoque est. natura enim procliues proniq́ue sumus ad bonum, & ad perfectionem. Cùm ergo dicitur, actionem sequi obiectum bifariam id intelligi potest, vel quòd cognitio sit effectus quidam, qualitasq́ue animi genita ex obiecto mouente, & facultate excitata, vt placet Latinis & fortasis Simplicio. At hic sensus, nunquam mihi arrisit. obiectum enim est forma, quæ ceu perfectio non efficit aliud à se, quando causæ verè gene-

rantes faciunt. idem enim est forma & formæ effectus. nam idem est intellectio lapidis in anima & lapis, vt satis bellè dixit Auerroës. Vel intelligitur, quòd actus sit obiectum cognitum, sequens ipsum vt illuminatum quoddam. Atque ita dicitur sequi, vt ordo quidam statuatur, qui ratione distinguatur; quia noster intellectus prius intelligit rem esse præsentem intellectui agenti, quàm intelligatur non aliter quàm forma prius intelligitur esse in materia, quàm sit compositum, cum tamen idem sit formam esse in materia, & esse compositum. Similis itaque est, quæ ex obiecto cognito, & intellectu paritur notitia. non enim est alia qualitas, sed idem est res cognita & cognitio. Verùm ratio eiusmodi sibi format ordinem. Deinde dico de illa apparentia, quòd est cognitio intellectus, quam habet de re. eo modo, quo apparet, hoc est percipitur. nam quamuis alter altero perfectius percipiat, ob id tamen non tollitur, quin in nobis sit potestas eligendi, cum apparentiam comitetur discursus, (ita in præsentia διάνοιαν interpretor) quem sequitur electio. Quòd si instes, à natura tibi datum esse, vt ita intelligas. Respondeo, licet à natura cõtingat ita intelligere atque ita videri: non ob id tamen electio illius, est natura. ratio enim & consultatio potest id vel admittere, vel repudiare. Animalia quidem bruta natura procliuia feruntur ad cibum: attamen si quis vnà cum cibo, baculum ostenderit, refugiunt. quare in illis duplex videtur esse affectio, cupiditas cibi, & declinatio baculi. Quod homini quoque contingit, verùm hæc est inter vtrunque differentia, quòd animalia rationis expertia, præ timore affectuque quem baculus genuit, pedem referant: homo verò consilio & cogni-

tione. Quamuis igitur præ naturæ imbecillitate, obiectum eiuſmodi appareat, tamen ab eo, conſilio & ratione poſſumus abduci. atque hoc pacto Alexander dixit, in ſua cuiuſque eſſe poteſtate, quod cuique videtur, & vnumquemque dominum eſſe ipſius apparentiæ. ſic itaque primæ dubitationi ſatisfactum eſto.

An idem ſit per ignorantiam & ignorantem facere. Cap. VII.

HAnc quæſtionem ipſe Philoſophus diluit tertio Ethicorũ docens aliud eſſe facere per ignorantiam vbi ſcilicet ignorantia in cauſa eſt: aliud verò ignorantem facere. ignorans quippe, cùm malus ſit, non enim ſumit omnes propoſitiones veras, ſed vel maiorem: vel minorem apparentem, & veriſimilem, non ſemper delinquit per ignorantiam. Cæterùm, quoniam Iuriſperitis hæc intellexiſſe ad puniendа delicta conducere videtur, apertius res eſt explicanda & repetenda. Ariſtoteles eodem libro inuoluntarium partitur in duo: in id quod vi fit, & quod ignoratione. quandoquidem duos in nobis eſſe actus certum eſt, appetitum ſcilicet, quo mouemur ad rẽ quampiam, de quo iam ſuprà dictum fuit: & cognitionem, quæ nihil aliud eſt quam actio à rebus excitata. Quare violentum id erit, quod à nobis fit impellente cauſa quapiam externa, & contra appetitũ atque inclinationem, velut ſi quis hominem cædat, cogente tyranno. Ignorantia porrò priuat cognitionem noſtram. iccirco cùm cognitio tollitur, & aliquid patramus, id inuitos feciſſe cenſet Philoſophus & inuoluntarium eiuſmodi facinus appellat. quod

enim cognitionem aufert, id appetitu quoque nos ſpoliare certum eſt, cum appetitus cognitionem ſequatur. Verùm quæ ab ignorantia fiunt, diſſecat in duo. nam ſi quid ignoratione commiſſum eſt, quod poſt feciſſe pœnitet, doletque: (cùm ſignum id eſſe videatur, non ſolùm ab ignorante, ſed etiam contra appetitum fuiſſe perpetratum.) dicit id ab inuito factum fuiſſe; nimirum quod ab ignoratione ortum habeat, ſitque inuoluntarium. Sin autem commiſsi facinoris non pœnitet, nec dolet, nec cenſet id eſſe ab inuito factum; attamen appellat inuoluntarium, vtiturque nomine generis, cùm proprio careat. Ad rem itaque deſcendo, ac dico id ignoratione factum eſſe, cuius ignoratio ipſa eſt cauſa. Quòd ſi quid admittitur ab ignorante conditiones particulares; id dicitur quidem fieri ignoranter, non tamen ignorantia eſt eius cauſa, Nam quamuis ebrii atque irati ignorantes mala agant, nihilo minus volentes ea cõmittunt, quòd volens quiſpiam ebrius fiat, volensq. iraſcatur. Ignorat igitur quiuis malus, cùm conditionum particularium tum finis, tum mediorum ad finem ſpectantium, ignoratione peccat, velut ſeptimo Ethicorum apertè teſtatur Philoſophus. At verò. quæ timore vel pœnæ, vel alicuius imminentis periculi fiunt, ea & voluntaria ſunt, & inuoluntaria. Voluntaria quippe, habita temporis in quo fiunt ratione: at abſolutè inuoluntaria, quòd à volente haud quaquam fiant. nam cùm quis vrgente tempeſtate merces in mare abiicit, voluntariè id facit; non tamẽ ſimpliciter, cùm nemo idipſum, niſi cogente neceſſitate, volens eligeret. Sed vt ad ignorantiam redeamus, ea quæ à Philoſopho ſub inuoluntario collocatur, eſt illa cuius cauſa in nobis haud ſita eſt, quám-

què Theologi noſtri inuincibilem vocant. eſt autem ea, cùm aliquid noſtra cognitione aſſequi nequimus, velut paulò antè declarabamus. At illa, quam Iuriſconſulti ſupinam nuncupant, cùm à noſtra negligentia proficiſcatur, eiuſque cauſa in nobis ſit, non eſt verè inuoluntaria. Eſt itaque, vt Peripatetici ſentiunt, duplex ignorantia, ea cuius cauſa eſt in nobis; & altera, cuius cauſa non eſt in nobis. Theologi ignorantiam cuius nos ſumus cauſa ac authores, in duas partiuntur; craſſam ſcilicet ac affectatam: at nos craſſam vocamus illam, quàm noſtra ſegnitia gignit: & affectatam, quam peruicacia procreat. Sunt & alii ignorantiæ modi diſpoſitionis & negationis, quas Logici inuenerunt; verùm de his non eſt præſens ſermo.

Solutio tertiæ quæſtionis. *Cap. VIII.*

TErtia autem quæſtio, duo mihi videtur examinanda proponere: primum, ſi natura ad bonum vel malum ſumus procliues, quo pacto noſter delectus ſit liber. alterum, quibus de cauſis natura nobis inſita eſt hæc propenſio ad bonum, vel malum. Sed illud differamus ad decimam quæſtionem, in qua diligenter ac accuratè diſcutietur: in præſentia poſtremum aggrediamur. Cùm itaque homo conſtet, materia ſenſili, & anima rationali: ſenſus à materia vnà cum anima ortum ducunt. Cumque materia ſit principium ipſius non eſſe, vt docet Philoſophus decimo Metaphyſices: ab eadem quoque omne malum proficiſcitur. malum enim oritur à potentia. Multa inſuper in materia caſu ac temere cadere poſſunt, cùm apta ſit vt hoc vel illud reci-

piat, velut idem quinto Metaphyſices aſſerit. Hæc denique in cauſa eſt, quare homines delinquant, quòd in agendo deficere queant, omniumque affectuum fons ſit & origo. Quare ſcitè Ariſtoteles, libro tertio Politicorum, volens demonſtrare, longè melius eſſe legibus quàm hominibus gubernari; ait legem intellectum eſſe ſine affectu, hominem verò intellectum cum affectu. Senſilis itaque materia in cauſa eſt, quare in hominibus vigeant affectus: atque ipſa non modò de actionum perfectione plurimum detrahit, verùm etiam quo minus intellectus verè res perſpicere poſsit eſt impedimento. Altera verò hominis portio, quæ ratio dicitur, facultas eſt ſpeculans vniuerſalia, quæque materiæ ac organo non permiſcentur. atque ipſa vt ratio ſemper fertur ad bonum, aberrat tamen interdum peccatque, quòd materiæ ſit coniuncta. Ratio itaque cùm ſit hominis forma, ad bonum propenſa inclinat. Cùm igitur quæritur, ſit ne homo natura ad bonum procliuis, an ad malum; dicendum eſt, virtutem moralem, hoc eſt ἠθικὴν fieri aſſuefactione, velut Ariſtoteles ſecundo Ethicorum docet. ἔθος enim; à quo ἠθικὸς hoc eſt moralis deriuatur, ſignificat conſuetudinem. intellectiuam verò, doctrina parari. Hinc patet virtutes non eſſe nobis natura inſitas, ſed aptitudinem quandam ad eas ſuſcipiendas. ratio enim eſt noſtra natura, quæ nos ad eas capeſſendas efficit idoneos. Porrò ad id quod dicitur, quòd vnicuique inſita eſt malitia; reſpondendum eſt, quòd in viſceribus noſtris, atque in ſubſtantia noſtra ineſt facultas quædã quæ impellit ad malum, materia ſcilicet & ſenſus: ineſt & forma, quæ ad bonum & virtutem nos inuitat. Cùm autem materia ſit nobis cum brutis anima-

libus communis, non est propriè nuncupanda natura ; sed natura erit ratio & forma, qua cæteris animātibus præstamus. Ingenita itaque & malitia & virtus, sed differentibus principiis. Verùm ne ignores alios aliis ad vitia, alios rursus aliis ad virtutem esse procliuiores ; deinde ad hoc aut illud vitii virtutisq. genus, alios aliis magis propendere; idque temperamenti beneficio, velut suprà admonuimus. siquidem alius liberalitate, alius magnificentia, alius alia virtute magis afficitur. quod idem vsu venit in vitiis. quæ res facit, vt ea vel vitia, vel virtutes, facilius postea abeant consuetudine & assuefactione in habi bitum. Atque idem de virtutibus intellectus asserere oportet.

An contemplatiuo insit uirtus moralis. Cap. IX.

QVarto porrò ordine quærebatur, an philosopho speculatiuo insit virtus moralis. ad id quid possit responderi, indicat Philosophus decimo Ethicorum. Verùm scire licet, tria in hoc vniuerso reperiri, quæ perfectione inter se dissentiunt, Deum, hominem, & bruta. Deus vna, eademque simplici gaudet actione, quæ est intelligere seipsum, & alia prout in seipso conspiciuntur. Cū autem careat affectibus, nec perturbationibus moueatur, aut in operibus laboret, vna ac perennis est eius actio. Homo verò, qui particeps est fœlicitatis quoniam & rationis, operatur quidem secundum hanc facultatem ; verùm quia eius essentia, est in materia, lassantur eius vires, & sensuum instrumenta inter agendum defatigantur. Quare eius actio non potest esse continua, vna, & simplex, sed opus est vt

in affectibus versetur, iisque quæ vitam necessariò consequuntur. Quocirca necesse est, vt interdum optime, interdum minus benè se habeat, doleat, iratscatur, gaudeat. Ex his colligitur contemplatiuum debere habere mediocritatem, virtutesque morales, in electione quidem, non autem in actu. Homo verò ciuilis, qui in hominum communitate versatur, cùm multis indigeat, virtutem non solùm eligere, verùm etiam actu exercere debet. Philosopho igitur contemplatiuo, ociosam vitam agenti satis est, si virtutes eligat. Quòd si opere quasdam exercet, vt puta continentiam & temperantiam: (Plato enim sapientes non solùm continentes debere esse sed temperantes quoq. censet, quòd continentia virtus manca sit, illique septimo Ethicorum astipulatur Aristoteles.) minus in iis laborat. Dicendum itaque ad id quod in quæstionem vocatur, Philosophum contemplatiuum non decere insensibilitates illas, quas Stoici commenti sunt, sed virtutes eligere, hoc est ad eligendas esse propensiores. quod quidem rectius dicere poterimus, in virtute habere electionem philosophum speculatiuum, quàm in habitu vel in actu, virtutes morales. quamuis alii aliter sentiant, vt primo Physicorum disputatum fuit. minus tamen decet in iis sollicitum teneri, quàm ciuilem, qui eas & eligit, & operatur. Bruta denique, cùm nullam habeant natura fœlicitatis partem, (carent enim ratione, sensuque rationali. parent autem homini vsu & timore, ea quæ cicurari possunt.) nec virtutes eligunt, nec exercent.

Quintæ

Quintæ rationis examen. *Cap.* X.

PORRÒ autem vt id quod quinto loco propositum fuit discutiamus, scire licet, multa esse in rerum natura. quæ totum sibi vendicant, nullam tamen partem necessariò semper assumũt: Sic sunt quędam, quæ genus semper habent, nulla tamen specie concluduntur. nam, vt exemplo res planius explicetur, corpora naturalia semper sunt in loco, non tamen eundem semper obtinent. cogitur enim condensaturque aër in minori ac angustiori: explicatur & rarefit in maiori ac ampliori. Sic materia, quam primam Philosophi nominant, assiduè quidem sub forma delitescit, non tamen semper sub perfecta, sed iam sub hac, aliàs sub illa. Simili ratione omnibus quidem hominibus datum est viuere, verùm modò bene, modò malè: & viuere in affectibus cum sensu. quare vel in tristitia vel in lætitia, vt ostendo in libello nostro de Hominis arbitrio ex Philosophi sententia. Hæ verò, tristitia inquam & lætitia, non sunt in hominis facultate; sed sensum necessariò sequuntur, vt Aristoteles secundo, & tertio de Anima docet. Verùm etsi viuendum est ex affectibus sensus: at tamen mediocritatem in iis tueri, aut modum excedere in nobis situm est. quoniam ratio quæ semper velut demonstrauimus, ad bonum prona fertur, vbi sensus sibi subiecit, contemperat affectuum impetum, refrenatque illorum furorem; licet nequeat eos penitus de medio tollere, aut excidere. nam si hoc posset, iam homo in Deum migraret: vt contrà in beluam, si ex solo affectu vitam traduceret. Ratio ergo illa, qua dicitur, si potest exuere affectuum impetum, poterit aliquando & ipsos affectus, nullius est ponderis; vt probatur à simile. nam homo potest

esse sine eo vt bene viuat, non tamen sine vita. Et cùm Auerroës inuehitur in Auicennam, supponit in substantia ignis, gradus caloris esse æquales. atque iccirco inquit, Si careret vno posset aliquando omnibus carere. loquiturque de puris elementis, quæ ad mixtionem conueniunt. Alii aliter sentiunt. Mihi verò videtur, accidens esse vitę, vt ita dicam affectuosæ, quæ scilicet ex affectibus transigatur, temperatè vel intemperatè viuere; Vti verò affectu, inesse substātiæ; quare fieri non posse vt sit sine affectu. Quòd si obieceris esse eiusdem rationis, dico esse quidem eiusdem rationis inter se, vt tamen cum homine comparantur, minimè. inest enim substantiæ nostræ affectus, at non excandescentia. Atque si ita nulla ætate, arte, nulla denique scientia possunt in nobis affectus contemperari ac moderari. quare Philosophus auditorem suum instituit, antequam dè moribus disputare incipiat? non alia puto ratione, nisi quòd iuuentus suis affectibus modum ponere nequeat. quin nec senes, & qui ætate sunt prouectiore, apti sunt ad eiusmodi præcepta, si moribus fuerint iuuenes. quasi hinc affectum esse in nostra substantia, aperte indicet.

Ad sextam rationem responsio. *Cap.* XI.

Dictum est à Philosopho tertio Ethicorum, non eodem modo actionem esse in nobis, atque habitum. actio enim in nostra est potestate, cum eligere, aut secus possimus. quod de actione quæ habitū præcedit, rectè intelligitur: quæ si frequenter exerceatur, habitum gignit. Habitus autem, nisi ab initio, non est in nobis, vt nec actio quæ habitum se-

quitur. nam cùm vſus inualuit, ſenſimque ac non animaduertẽtibus nobis incrementũ ſumpſit, fit altera natura, ac vt Heraclitus dicebat, ἀκίμων longeque eſt omnium difficillimum, eum in contrariũ commutare. Cenſeo itaque rationi reſponderi poſſe, quòd vt actus quidam ſunt mixti ex voluntario, & inuoluntario, qualis eſt iactura mercium, quæ fit cum tempeſtates oboriuntur. abiiciuntur enim voluntate noſtra, ſalutis ſcilicet cauſa; non tamen ſimpliciter id volumus. Ita actiones eiuſmodi dici poſſunt in noſtra eſſe poteſtate, quoniam ſumus habituũ actionumque concauſæ, ac volentes agimus: non tamen abſolutè quæ vſu comparatæ ſunt, in nobis ſunt ſitę, quòd nequeamus pro arbitrio eas deponere; potiſsimùm ſi habitus geniti fuerint cum naturæ propenſione. Facultas itaque agendi, genito iam habitu, non eſt in nobis integra, propter ſocium quem ſibi aſciuit, ipſum ſcilicet habitum, cum quo ad agendum progreditur. antea tamen integra erat. Et licet non ſit penitus ſublata facultas, ſed ex parte; multa tamen opus eſt diligentia, longo ſtudio, & plurima induſtria, vt in integrum reſtituatur, ac hoſpes foras pellatur, quod ſanè Stoici, Plato, Ariſtoteles, omnesque philoſophi fatentur. Qua arte autem id fieri poſsit, aliàs fortaſsis explicabimus.

Quid ſit eſſe in nobis. *Cap.* XII.

ALexander in Quęſtionibus naturalibus τὸ ἐφ ἡμῖν hoc eſt, eſſe in nobis, inquit ambiguum æquiuocumque eſſe, ſignificare enim eſſe in noſtra poteſtate, & eſſe in noſtra ſubſtantia. In noſtra porrò ſubſtantia ſunt potentia paſsio, & actio: In noſtra autem poteſtate eſt ſola actio, quæ à potentia ori-

tur. nam passiones ac perturbationes natura nobis insunt, vt ipsius iam dictum fuit; & potentia, homini quoque est naturalis; quare neutra nobis subduntur. quoniam non est in nostra facultate, nos nō esse nostrarum actionum dominos: quoniam non est in nostro arbitrio nos non esse homines. Hinc iam intelligitur, quid sibi velit hoc, quod dici solet: natura comparatum, esse posse opposita velle & nolle; idemque non esse natura comparatum. quoniam quod ab hominis forma ac natura proficiscitur, id est naturale. modus tamen operandi ac agendi, non est naturalis. atque hoc erat, ni fallor, quod Simplicius significare volebat, quando dixit: cum necessitate coniunctam esse libertatem. necesse enim est homini quia homo est, hoc modo operari, posse scilicet vtrunque sibi proponere, atque vtrum voluerit deligere.

An Electio sit à voluntate an ab intellectu. Cap. XIII.

AN verò voluntas eligat, vel intellectus. (nam id octauò loco in dubium fuit vocatum) prolixissimè à nobis, libro de Hominis arbitrio fuit explicatum: quare breuibus, & typo quodam est dicendum, quòd τὸ ἐφ' ἡμῖν hoc est quod est in nobis, & in nostra potestate, aliud est, ab eo quod ἑκούσιον & ἀκούσιον dicunt, nostri quidam voluntarium & inuoluntarium appellant: rectius fortasis facturi, si spontaneum & non spōtaneum, cum Antiquo interprete dicerent. in brutis enim & pueris, quibus non conuenit voluntarium, licebit vti spontaneo. habent enim principium agendi intus, possuntque se sistere. Qua-

re possunt sponte sua, nullo agente externo impellente, moueri animalia, cùm scilicet motu animalis cientur; & se quoque sistere queunt. ac si contigerit ea motu corporis ferri, qui fit secundum elementum quod in corpore dominatur, & naturalis est, non potest se sistere, non aliter quàm inanimata, quæ vbi semel moueri cœperint, tandiu aguntur, quandiu adest vis impellens, cui nihil obstet. Ea tamen nemo puto dixerit voluntate aliqua moueri. Præterea Aristoteles tertio Ethicorum, qua de voluntate pertractat, nunquam meminit inuoluntarii, hoc est ἀκουσίς vt hinc intelligas, ἀκούσιον non' rectè voluntatis actionibus adaptari. Cæterùm his neglectis, dicamus in animalibus perfectis cognitionem sensus & imaginationis præcedere motum: atque iccirco, ad omnes loci differentias ferri possunt: puta sursum, deorsum; antrorsum, retrorsum; ad dextram, & sinistram. in reliquis verò in quibus sensus quidã est atque obscura imaginatio, motus coarctatur, atque in angustum cogitur. Porrò quòd animalia rationis expertia naturali quadam propensione, aut affectu ex obiecto sensibili mouente genito agunt, arbitrarium nequit dici, aut voluntarium; quoniam cùm hæc sequatur consultationem præcedentem, velut paulò post audies. Motum igitur animalium ratione carentium præcedit cognitio rei, quæ afficit animal: rem autem cognitam sequitur appetitus, qui est motus ad rem. Eadem ergo substantia animi quæ cognoscit, etiam appetit: atque hoc solùm interest quòd cognoscat sua natura, appetat autem rem cognitam: cognoscit enim primò, deinde cognitum expetit. Iccirco Philosophi consueuerunt dicere, nihil expeti nisi quod cognoscitur, aut vt ipsorum verbis vtar, nihil

esse appetitum, nisi cognitum. Deinde res ipsa, causa est cognitionis; appetitus verò fertur ad rem: atq. res in cognitione, efficientis naturam subit: at in appetitu finis. Ne tamen credas rem expeti tanquam cognitam, sed quòd foris sit & extra animam. nam vt cognita habetur; nihilque mouetur ad id quod habetur ac possidetur, sed ad id quod non est in nobis, nec habetur. Et quoniam in animali, quod expers est rationis, non reperitur eiusmodi cognitio, nec appetitus, nec facultas deliberandi, vel consultandi, aut perscrutandi media ad finis consecutionem. simul atque genitus est appetitus, oritur prosecutio, aut declinatio. Quod in homine aliter se habet, quare prætermissis cæteris animalibus agamus de eo, cuius prima peculiarisque cognitio, est ipsa intellectio; cuiusque appetitio, verè dicitur βούλησις hoc est volũtas, quæ sequitur cognitionem intellectus. atque hæc est appetitio finis, quem ratio prospexit. Porrò opponitur cupiditati & iræ, quæ sunt appetitus, sensus cognitionem sequentes. Cæterum ille appetitus, qui comitatur deliberationem, rationisque iudicium, ac consultationem: aut assecla est electionis, aut non fit citra electionem. Oritur tamen in homine non secus quàm in reliquis animantibus, appetitus quidam intellectæ rei, qui inclinatio aut naturalis consensus, aut etiam voluntas est appellanda, quiq. non est in potestate nostra. non est enim in nobis, quin à cognita re, bene maléue afficiamur, & habeamus complacentiam, vel displicentiam, vt ita docendi gratia loquar. Cæterùm in homine hic ordo statuendus est, vt primò ponamus cognitionem illam quam ὑπόληψιν Philosophus, nos existimationem (ita enim receptum est.) dicamus,

que communis est ad omnem actionem. Et quamuis Simplicius dicat διάνοιαν, cogitationem passim vocat, omnibus actionibus esse communem: differunt tamen, quòd existimatio sit terminus; cogitatio verò & διάνοια, sit via, qua ratio per mentem procurrit ac ratiocinatur. Intellectus verò vniuersalior est, quoniam etiam de imaginatione dicitur. Primo itaque homo rem intelligit, deinde vbi intellexit, appetit. estque appetitus veluti rei finis, & motus naturalis ad rem, quæ voluntas Aristoteli dicitur. hic ergo appetitus intellectui terminum statuit, & perquisitioni mediorum, quibus vtimur ad finem consequẽdum, colophonem, vt aiunt, imponit. Hæc perquisitio quæ voluntaria est, & fit ab intellectu, qui rationes in vtráque partem proponit, consultatio dicitur si res sub consilium cadit, vel deliberatio, & à Latinis quibusdam libera actio, & arbitrium. estque in nostra potestate, vt hoc vel illud, prout ratio dictat deliberemus. Sequitur quarto loco electio, quæ est assensus rationis & voluntatis: at voluntas sequitur deliberationem. Inquit enim tertio Ethicorum Philosophus, simulatque consultauimus, iudicamus: atque inde secundum consultationẽ appetimus. Vnde patet consultationem præcedere appetitum. Quare non est assentiendũ Eustratio, qui contra omniũ exemplarium fidem, non βέλευσιν, id est consultationem, sed βέλησιν potius legendum putat, id est voluntatem. quasi dicat, quòd secundum quod volumus appetimus, & quòd voluntate appetimus, non autem concupiscentia vel ira. Nam hoc mea sententia nihil esset, cùm iam constet ex prædictis, appetitum sequi rationem & voluntatem, non autem cupiditatem vel iram, hæ enim sensus sunt comites.

Voluntas igitur sequitur consilium & iudicium; & electio fit à consultante, qui volens eligit non quidē voluntate, sed ratione. Verùm cùm electio complectatur deliberationem, vel vt ipsi loquuntur determinationem, & principium motus & actionis, quod non fit sine appetitu; ob id exactè electio vtrunque complecti videtur. Voluntas ergo est causa sine qua non fit electio, non tamē est causa; sed potius conclusionem consilii & syllogismi practici, velut audies, sequitur appetitus. Amplius, cùm homo sit animal ex sensu & ratione compactum, non ob sensum dicitur aliquid esse in nostra potestate, sed ob intellectum. Cum igitur audis esse in nobis, vel in nostra potestate, non est intelligendum, id esse in nostra voluntate, sed in ratione; quæ ratio dicitur volens & cognoscens, non solùm præsens & præteritum, sed etiam futurum. Ratio porrò, quæ est natura hominis dicitur cognoscens, vt mouetur à re; & dicitur appetēs, vt inclinatur ad rē & motus intellectus, vt cognoscēs dicitur intellectio: motus verò intellectus ad rem cognitam, dicitur voluntas, & volitio à quibusdam, ac appetitus. Verùm appetitus rei duplex est, ante consultationem vel deliberationem, quæ naturalis quædam inclinatio est ad finem, & dicitur voluntas: alter est, qui consultationē consequitur. atque hic à Latinis dicitur liber: Peripatetici tamen dicunt libertatem esse rationis vel arbitrii, quæ in homine solùm reperitur, vt suprà meminimus, atque id est τὸ ἐφ' ἡμῖν quod scilicet in nostra est potestate, quæ electio propriè dicitur. At verò quoniam sensu quoque operatur, qui & ipse cognoscit: cùmque omnem cognitionem necessariò consequatur motus ad rem, qui dicitur appetitus, hic dicitur concupiscentia. Duo itaq.

sunt

sunt in homine appetitus contrarii, tum qui rationē tum qui sensum comitatur. Scire autem licet, quòd ad omnem cognitionem sequitur, ex sententia Philosophi actus, qui dicitur appetitus; (quanuis vna sit potentia, quæ propriè appetens dicitur) Vnde appetitus sensitiuus dictus est, quem præcedit sensus cognitio; & voluntas, quem rationis. Atque cùm ratio cognoscat futurum, sensus verò tantùm præsens; si rationem sequimur, mouebimur ad finem futurum: sin sensui adhæremus, ad id quod præsens delectare potest. exempli gratia, si quis siti laboret, sensus cùm expetat præsens, inuitabit eum vt frigidam hibat: at ratio quæ euentum prospicit, & mala quę ex frigidæ potione corpori accidere possunt, dissuadet, monetque vt abstineat. Quare si facultas appetendi flectetur quò sensus suaserit, potum poscet: sin autem aliò, & vt ratio consuluerit, renuet. His ita constitutis, facilè intelligitur, quomodo continens, reluctante sensu, rationem sequitur: incontinens verò contrà, aduersante ratione, sensui paret. Quare continentia non est verè & integra virtus, sed manca, vt ita dicam: nec incontinentia, est verè vitium; sed absoluitur vtraque: illa quidem, quando rationem sequitur, obediente, vel saltem non aduersante sensu: hæc verò, cùm nihil renitente ratione, operatur; cùm scilicet ratio occæcata, & quasi tenebris inuoluta malum indicat esse bonum. Itaque in continente sensus paret rationi: at in incontinente viceuersa ratio fit comes sensus, quæ dispositio Præternaturalis vocatur à Philosophis, quæ ex assuetudine contrahitur. & licet incontinens videat meliora probetque, deteriora tamen sequitur, ducente cogenteque affectu sensitiuo. Hinc iam patet

facultatem illam, qua alterum præ altero eligimus, προαίρεσιν Græci vt Aristoteles docet, dixerunt, nostri passim electionem,) esse actionem intellectus, atque intelligentis & appetentis. sed cognoscere rationem, illiq́ue assentiri, prius est quàm velle. præcedit enim natura electio appetitionem. At ad motum prius impellit appetitus quàm intellectus, qui longius abest: atque ob id rectè dicitur, voluntatem & appetitum esse motus principium, quoniam vt expetens ac desiderans mouet spiritus artusq́ue nostros. Sunt ergo in nobis tria, actus intellectus, qui est intelligere: actus intellectus vt appetens, qui est voluntas: & actus potentiarum inferiorum, puta sensus tam interni quàm externi, quæ scilicet rationi parere possunt. Dicunt nonnulli penes voluntatem esse, vt intellectus hoc illúdue vel intelligat, vel non: deinde, vt inferiores facultates actiones suas exerceant, vel non: denique posse aduersante intellectu, actionem vnam sibi proponere, & non alteram. Verùm ex Peripateticorum sententia voluntas nihil aliud est, nisi actiõ: facultas verò est ipse intellectus, qui appetit; & vt appetens, nihil sibi certum proponit, nisi vel sequatur cognitionem suiipsius, & ita obedit consilio rationis: vel sensum cognoscentem, qui vel à præsenti obiecto, vel vsu mouetur. Voluntas ergo dici nequit libera, velut arbitrantur, cùm eam Philosophus, ab electione, in qua est libertas, distinguat. Voluntas enim est finis, qui non est in potestate nostra, vt formetur ratio. Ad finem non est libertas, voluntas est finis, ergo volũtas non est libera. Et quanvis aduersetur rationi, cùm sensui adhæret, non est tamen in voluntatis facultate situm, aliquid præter sensum aut rationem velle. licet in nostra sit potesta

te, hoc est in ratione positum, vt possimus, huc vel illuc, prout voluerimus, diuertere ac deflectere. Ad hæc, voluntas in causa est, vt inferiores potentiæ moueantur ad actiones externas, prout ratio aut sensus statuerit ac concluserit. quoniam nullum animal citra appetitum mouetur. Præterea actus quem habitus producit, non est omnino liber: quoniam non possumus nostris viribus, vbi semel habitum contraxerimus, abduci ab actu, hoc est à boni vel mali electione; quanuis interdum, metu vel supplicii, vel ignominiæ, aut alia de causa ab exteriori actione abstineamus. Verùm qui ita à vitio abstinet, non est dicendus probus: At qui non eligit, exempli gratia, si conspexeris mulierem, atque elegeris, hoc est intellectus tuus volens, sensumque insequens elegerit eius copiam tibi fieri; iam dubio procul actus malus est, etiamsi actus exterior non absoluatur, neque cum ea concubueris. atq. hoc est quod innuit Euangelista, cùm inquit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Hunc autem actum, quem nostri dicunt exteriorem, Philosophi appellant πρᾶξιν: sed aliter illi, qui suorum dogmatum sibi nomina comminiscuntur, vt illorum libros euoluentibus conspicuũ esse potest. Hinc colligas, quòd si intellectus aliquid apprehendit, quod vt bonum cognoscat, puta Deum, in quo nulla inest ratio mali; sensus verò singulare quoddam quasi bonum, & delectabile esse sentit: potest intellectus volens abduci, quò minus velit Deum, atque pronus ferri ad id quod delectat. Porrò id quod dicitur, quòd necessariò ferimur ad Deum, & ad finem vniuersaliter cognitum; duplicem patitur sensum. nam aut potest intelligi, ad finem vniuersalem, hoc est ad

omne bonum. atque id verum eſt, quoniam bonum eſt, quod omnia expetunt. Aut ad Deum vniuerſaliter cognitum: atq. in hoc ſenſu dicendum eſt, aliud eſſe, Deum odiſſe; & aliud, Deum non velle. Deum non odimus, quoniam ſub mali ratione aliquid odio proſequimur. Non volumus autem interdũ Deum, quando ob id, quòd voluntas aliò rapitur, intellectus Deum non expetit. atque hoc modo rem intelligendam iudico. Eſt & aliud hinc elicere, quòd intellectus ſit primò liber, & magis vt intelligens quàm vt volens. nam vt intellectus, dum ratiocinatur, ac verſatur circa ea, quæ ſub actionem, vel ſub contemplationem cadunt, poteſt reperire rationes in vtranque partem: atque ita anceps eſt & indifferens. quoniam aut appetit, & neceſſariò ſequitur vel habitum vel ſenſum: aut ſeipſum intelligit ac intuetur. quare nequit ſibi certi aliquid proponere. nam cùm recipiat, & quaſi patiatur, antè quàm agat, neceſſe eſt, vt ad agendum impẽllatur ab alio, puta ab obiecto; quod vel eſt in ſenſu, vel in ſeipſo intelligente. alioqui daretur agens viribus æquale, vt vocant, quod omnium philoſophorum Peripateticorum placitis refragatur; nullæque eſſent Auerrois rationes, octauę Phyſicorum, de Actione Dei de integro, extra ſe. Quicquid itaque dicunt Theologi, repugnat Peripateticorũ ſententiæ. His ita explicatis, facile eſt quæſito ſatisfacere, quòd electio non ſit actus voluntatis, vt prolixius & validiſsimis argumentis quarto libro de Partibus animi demonſtrauimus; ſed rationis intelligentis & volentis. A voluntate ergo non fit electio, cùm voluntas ſit finis; ſed à ratione intelligẽte, quæ vt volens, eſt cauſa ſine qua non. Ratio igitur eligit hoc præ illo, & vt intelligens, & vt volens: verùm

aliter atque aliter, velut dictum fuit, & nos fusius declarauimus libro de Humano arbitrio. Quòd si voluntas non esset tantùm finis, sed mediorum quoque voluntas esset electio. Sed id fieri nequit, quoniã vt Aristoteles tertio Ethicorũ inquit, volũtas est finis; nõ enim elegit, sed exequitur, & in actione versatur. quod finem respicit. Est & alia ratione finis, quoniã intellectus prius quàm eligat, velut diximus, natura ad finem mouetur; quem vt assequatur, media rimatur. Quod Latini non satis intelligentes, aut animaduertentes, quàm plurima hac de re parum fœliciter, & satis ineptè deprompserunt: cùm alii electionẽ, esse arbitrium, & voluntatis actionem: alii voluntatem: quidam, duas esse animæ potentias simul: nonnulli aliam ab his esse facultatem asserant. Sed dicant mihi quæso, cum Philosophus tertio Ethicorum inquiat, voluntatem non esse electionem: quid per electionẽ & voluntatẽ eum putẽt intelligere: vtrum actionem, an facultatem? Facultatem ni fallor non respondebunt, quòd hoc seipsos iugularet. repugnat enim toto cælo, quod aiunt, eorũ placitis. Quòd si pro actione accipient, vt voluntas quidem sit actio facultatis appetentis ad finem consequendum: electio verò, sit eiusdem facultatis alia actio, puta mediorum ad finem spectantium: cùm Philosophus dicat, electionẽ nullo pacto esse voluntatem: sensus opinor erit, duas has actiones diuersas poni: quarum altera cognitionem finis; altera rationis iudicium comitetur. Volũtas itaque aliam atq. aliam actionem promet, variante ratione. & prima actio erit ad finem comparandum, quia ratio tantùm finem cognoscit vt bonum: flectetur autem vis appetens ad id, quod intellectus iudicauit, & deliberatione eligendum esse concluſit.

Quòd si ita est, satis apertè errat Philosophus, qui inquit, electionem nullo modo esse voluntatem, quã doquidẽ si esset vnius eiusdemque facultatis actio, eadem actio esset altera. spectaret enim eundem finã, vel mediatè vel immediatè, vt loquuntur Philosophi; & tam hæc actio vocaretur voluntas, quàm illa. nam cum electio sit mediorum ad finem pertinentium, esset & finis. est enim Peripateticorum nulli non nota regula; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. quare si est mediorum ad finem, multo magis est finis. Si ergo tum electio, tum voluntas est finis, falsum est, quòd nullo modo vna actio est alia. Deinde quorsum quæso, Philosophus addidit, quamuis eadem videatur? siquidem & eadem videtur, & est verè eadem, si rationi iam positæ credendum est. Quocirca dicendum est, electionem esse rationis, prout ipsa iudicat, deliberat, & decernit; voluntatem verò rationis esse. sequitur enim eius iudicium, eique assentitur, non tamen eligit. Duæ ergo sunt facultates, eligens & appetens. quanuis vtrique rationis actioni comitem se adhibeat voluntas. Quòd si quando appetitus rationi aduersatur, id fit vel propter aliam rationem potiorem, vel ob sensum qui ita afficiat, vt non sinat rationem iudicium ferre, verùm præsocordia quadam, sensibus fenestram, vt est in prouerbio aperiat. Hinc perspicere licet, quænam sit voluntatis libertas, cum appetitus sit, capescere iussa: rationis verò, & elictionis, imperare. Quare nunquam mihi arrisit, quod à quibusdem dici solet, voluntatem in electione perficere; nisi perficere andiamus exequi, & imperata facere. Hinc præterea intelligi potest decantata illa differentia intellectus, quem vocant practicum, & contemplati-

ui. quippe practici finis est opus. Atque hæc actio, vt est intellectus cognoscentis, dicitur iudicium. vt verò iudicio iam lato intellectus volens adhæreat, dicitur electio. Atque ita substantia actionis prodit à ratione; denominatur verò à volente. Itaque commune quorundam placitum, qui aiunt; bonum esse obiectum voluntatis, perperam sentit. quoniam voluntas, vt est facultas appetens, caret obiecto. quandoquidem obiectum, quod ὑποκείμενον Græci appellant, quasi dicas subiectum, est solius potentiæ cognitiuæ: & appetitus dicitur esse finis, non autem, obiecti. Verùm intellectus practicus habet bonum pro obiecto; atque opus & actionem, pro fine sibi proposito. Voluntas autem est finis; & electio mediorum ad finem respicientium, vt iam sæpe dictum fuit. Vocatur verò electio ab appetitu, cùm sit rationis opus. nec est causa, sed sine qua non fiunt actiones morales; cùm ratio sit regula, ad quam ipsæ dirigantur. Cum igitur in affectibus cadit mediocritas rationis, fit operatio secundum virtutem, atque est rationis, consentientibus tamen affectibus. Consensus ergo nulla fungitur actione, præterquam quòd assentiatur rationis persuasioni; quæ non est operatio, sed rationis, vt ita dicam, acceptatio, & actionis principium. Iccirco Alexander libro de Anima, qua de Phantasia agit, inquit: Ascensio sanè, quæ in simplicibus versatur, an sit nec ne in nostra potestate non est. nam sensum atque imaginationem, huiusmodi assentio sequitur. At verò assensus ille, qui agendis rebus præstatur, vtrum agi debeant, an non, à ratione velut à causa proficiscitur: quem in potestate nostra esse perspicuum est. Hactenus Alexander, ex quibus palàm fit, assensum à ratione promanare,

eiusque esse comitem, atque ob id in nostra esse po testate, quam Latini liberam facultatem nuncupant. Porrò, vt ordinem in electione Alexander aperiret, ait: Nam in nostra potestate esse quis dubitat, de re quapiam deliberare, & eam cæteris anteponere, atq. eidem assensionem adiicere? Et Philosophus tertio Ethicorum, vbi probauit electionem non esse cupiditatem; deinde non esse voluntatem; & postremò non esse opinionem, nec omni ex parte consultationem; concluſit esse appetitionem consultationis vi præditam. quoniam in electione est determinatio vocata, quę dicitur rationis sententia ac iudicium. est & principium exequendi, quod dicitur appetitus: quæ duo absolutam, perfectam, ac integram significant electionem. Vnde si quis, nullo consilio, nullaq. adhibita deliberatione, aliquid aggreditur: dicetur quidem illa executio, sed tamen non vera electio; quoniam deliberatio, rationisque iudicium facit, vt electio sit integra & perfecta, vt iam dictum fuit. Volui hæc sæpe eadem inculcando, prolixius enarrare: quò explicatius Philosophi sententia percipiatur, nõ ignarus, quàm perplexè à quibusdam tractentur.

An homo sit natura liber: & ad quem finem facultas nostra nos ducat. *Cap. XIIII.*

VT autem & hæc, quæ postremo loco discutienda proposita fuerũt, dissoluamus; nec amplius vllus dubitandi locus reliquus sit, altius quædam repetenda sunt; ac primùm de libertate quid significet, verba facienda; deinde, res examinanda; adhæc, causa libertatis inuestiganda; postremò circa quę hæc libertas versetur, perscrutandum est. Et primum monere licet,

licet,quod Alexander libro ſecundo præcipit,ridiculum eſſe eum, qui nititur probare, in nobis eſſe liberam arbitrandi facultatem.nam conari id demonſtrare,eſt hominis non potentis notum ab ignoto diiudicare, quod de Natura dixit Philoſophus ſecundo Phyſicorum.conſtat enim ex quamplurimis, homini ineſſe deliberandi facultatem, vt tertio Ethicorum quoq. monet Philoſophus. Deliberamus enim,mutamus conſilia,ſuademus ac diſſuademus,laudamus, vituperamus,docemus, iubemus,præmiis proſequimur,ſuppliciis afficimus,denique vaticinamur.Qúæ ſanè omnia,homini facultatem liberam eſſe,& quod cunque ſibi agendum propoſuerit, id electione aſſequi poſſe,ſatis apertè teſtantur.Ac quoniam de moribus ſermo eſt, quis inficiatur nos in iis liberos eſſe: cum & aſſuetudine deteriores exuamus, & doctrina in meliores commutemus? nam quis neſcit,Socratẽ natura flagitioſum, Philoſophiæ præceptis imbutũ, in optimum ac ſanctiſsimum virum euaſiſſe?Deinde quis non videt pueros nullo ordine, nullaque lege immodeſtiſsimam vitam tranſigere? attamen ſimul atque adoleſcere cœperint,ſibi ipſis imperare, ac certam ſibi viuendi legem præſcribere,eamque inſtituere? Ex quibus colligit Alexander,hominẽ natura minimè orbatum aut inertem,cum adoleuit,non ignorare, quæ mala aut bona, & quæ turpia aut honeſta in vita cenſenda ſunt. Deindę,neminem latere opinatur, modò naturaliter ſit affectus, quid in nobis conſuetudo valeat,vt mala bonáue agitemus. Minimè tandem neſcire cenſet,in nobis inſitas eſſe facultates,quibus probis improbísue moribus aſſueſcamus. Sed quanuis hæc nemo negauerit ita eſſe: multa tamen contra hanc ſentẽtiam attulimus in libro noſtro

de hominis arbitrio, quæ hæc repetiisse superuacaneum fuerit: Attamen scire licet, omnes eas actiones quibus Philosophi libertatem astruunt, posse fieri ab affectu, vel sympathia, aut furore, vel naturæ propensione, aut timore, vt ibidem prolixius disputatur. Cæterum iis omissis, ad nomen libertatis descendamus, & dicamus alia verè libera dici & serua; alia similitudine & analogia quadam. Verè liberum, vt primo Metaphysices docetur, est illud quod est gratia sui, & esse suum, vel voluntas, vel actiones suæ, non dicuntur esse alterius: Contrà se habet seruus. quoniã vel ipsum esse, vel voluntas, vel actio est alterius. Fieri ergo potest iure Gẽtium alter alterius seruus, vel mercede, vel vi, vel quibusdam acceptis beneficiis, vel suiipsius venditione. nam id quoque apud Indos receptum fuisse in Luculli vita scribit Plutarchus: vbi inopes, quo tributum Romanis penderent, se ditioribus vẽdere solitos narrat. Sed quoniam seruus est ex eorum classe, quæ cum aliquo conferuntur, (ad aliquid vulgò apellant,) potest idem esse seruus alicuius, & vt cum altero confertur, dici liber ac dominus. Deus itaque est verè liber, cùm sit gratia suiipsius, & omnibus essentiam motumque præbeat, nullius indigens, in omnibus sibi sufficiens. Ex aduerso, materia illa, quam primã nuncupamus, cùm sit omnium gratia, & ab omnibus essentiam mutuetur, verè erit omni ex parte serua. Quæ mediæ sunt naturæ, illæ quò plus habent diuinatis, eò plus libertatis sortita sunt. quò verò magis corporea sunt, eò magis seruitutis naturalis conditionem nacta sunt. Ob id Aristoteles primo Politicorum censuit eum esse natura seruum, qui corporis viribus magis quàm animi pollet: & contrà natura liberum eum, qui men

tis acumine antecellit ac præstat. Homo itaque, si cum aliis rerum speciebus comparatur, quoniam solus mentis est particeps, solus quoque dicitur liber. quandoquidem libertas ab intellectu profluit. Dicitur quoque libertas & seruitus secundum similitudinem. nam qui omnibus tum animi, tum corporis viribus incumbit, vt opes sibi paret easque tueatur, eum diuitiarum seruum appellare consueuimus. ita qui libidini se totum dedidit, aut iracudiæ nõ moderatur, eum huius aut illius affectus dicimus esse seruum. Simili modo ingenuos, quique è generosis clarisque parentibus nati sunt, liberos: qui verò à vilibus, ignobilibusq. geniti sunt, seruos nuncupamus. Possunt tamen eiusmodi liberi, animo esse abiecto; & serui generosi reperiri, vt Aristoteles author est. Porrò libertas, quam status popularis sibi expetit, cuius sexto Politicorum meminit Philosophus, similis est naturali. populus enim libertatem desiderat, vt imperet, quod liberi est proprium, vt iure suo viuat, nec vnius imperio subiiciatur, aut à principis alicuius nutu pendeat, sed quod libuerit, etiam liceat. Qua similitudine homo quoque dici potest liber quoniam in sua est potestate, de quocunq. voluerit ferre iudiciũ, illudq. eligere & velle, vel nolle, est enim rationis particeps, à qua tanquam à fonte omnis libertas profluit. Aristotelis hanc non similitudinis nomine, sed vero appellat ὃ ἐφ' ἡμῖν, quasi dicamus, quod in nostra est potestate. est enim ratio, vel anima, vel animæ præcipua facultas, vt Aristoteles sentit tertio de Anima, vbi ait De parte autem animæ. Hæc itaque hominis libertas, non est verè libertas: quoniam ratio libertatis est esse gratia sui, suique causa agere omnia. Quæ mihi duo videntur innuere, nimirũ non impelli vi; sed

ſponte ad agendum ferri: deinde, finem non eſſe à ſeipſo diſtinctũ, neque ſe perfectiorẽ. Ea cum Deus longè perfectiſsimè poſsideat,(nullo enim impellente, nec vllius gratia agit:ſed vt dicunt Philoſophi primariò, ac primæ intentione propter ſeipſum,ac ſuam ſummam bonitatem; poſt hæc,vt eam cum aliis communicet.) iccirco dicitur ſolus eſſe liber; atque alia omnia ab hac exquiſita libertate decidere. quoniam Deus eſt vnus omnium certus finis.Libertas verò illa, quæ oppoſita ſpectat, & quam Latini libertatem indifferentiæ uocarunt, etſi iam dictæ ſimilis videatur,quoniam proponit ſibi vnum aliquem finem:tamen non reperitur in Deo. non enim in eo ſunt oppoſiti actus, ex Philoſophorum ſententia,nec oppoſita obiecta, quin nec oppoſiti effectus,cùm hæc à naturæ imbecillitate proficiſcantur: ſed ſemper bonus eſt, ſemper ſeipſum intelligit, & vno vniformiq́ue motu mouet. Parit autem hic diuerſos effectus,tum propter materiam; tum quòd cœlum omnes terræ tractus non æqualiter reſpiciat. Porrò ſpeculatiuus magis vera libertate liber eſt, quàm politicus: quoniam ipſum intelligere eſt gratia ſui: at agitare virtutes, eſt alterius. Et quanuis ſint quædam virtutes gratia ſui, vt ſcilicet affectibus moderentur iis, qui ab hominis forma ſunt alieni:tamen,quia in homine indifferẽtia illa prodit à ratione,quę propria eſt eius facultas; ob id dicendum eſſe exiſtimo;quòd à ratione quidem proficiſcatur intellectio;ſed quoniã mens atque intellectus qui dicitur potentia, eſt animæ noſtræ facultas, hæc cauſa eſt tantæ variationis atque incertitudinis:Alexander verò cenſet, hoc quod dicitur liberè agere,hoc eſt indifferenter;prouenire à natura non entis,quod enti inſperſum eſt. quod ego ſic

interpretor,non esse certam quandam causam extrinsecam nostrarum actionum ; sed intellectum, vtpote potentiam sensibus coniunctam, habere secum admixtam priuationem. Quare intellectus potentia erit qui priuationi permiscetur. A materia porrò omnis multitudo ortum ducit,tam in intelligibilibus,quàm in sensibilibus , velut libro tertio de Anima Alexander & Auerroës docent. Hinc sequitur, solam nostram potentiam,esse libertatis causam. nam si aliqua adesset causa, vnum sibi præfigeret,nec esset libertas. nã vbi hæc adest,nulla reperitur certa causa.Sic enim sexto Metaphysices dixit Philosophus: Eorum quæ sunt per accidens,nulla est causa nisi per accidẽs;quæ non appellatur causa,quia non est certa,sed est id materia. Simili ratione posse velle & nolle, habereque hanc indifferentiam , non oritur ex certa aliqua causa,sed à natura nostræ facultatis,quæ est ipsa potentia intellectus.Cùm verò vnum oppositorum sibi proposuit ac præfixit , iam non amplius est libera:quanuis natura sua potentiam habeat ad opposita. non aliter quàm materia, quæ vbi hãc illámue formam recepit, aliam non admittit: licet alio tempore admittere possit. His ita constitutis patêre iam puto , in Deo non esse liberum arbitrium , cùm tota sit & pura actio.sic nec in aliqua quidem intelligentia , cùm in illis non cadat deliberatio aut electio , sed sua natura, suaque essentia sint actus. Et cùm in his sublunaribus statui videtur à Philosophis quædam potentia, ea quia præ illis manca est,& imperfecta , solùm consultationem nobis inesse innuunt , & electionem. Ex prædictis quoque solui potest,quæsitum illud , quod à Theologis nostris proponitur:An scilicet sit liberum arbitrium ad malum? nam ex Platonis sententia,vt dictũ

fuit ſuprà,non videtur eſſe libertas ad malum :quoniam malus,vel ignorãs , vt loquitur Ariſtoteles;vel per ignorantiam, vt Plato,malum perpetrat.Theologis quoq. quamplurimis idem placuit, quaſi libertas agendi malum non proficiſcatur ab agente , ſed ab agente deficiente:atque ita impotentia potius ſit peccandi,quàm potentia. Cæterum id non caret dubitatione.nam etſi malum ſit priuatio , ipſa tamen actio, puta furtum facere , aut alterius vxorem vitiare , eſt reipſa,& vt ipſi loquuntur,poſitiuum malum:quare fit ab agente , & à potentia, non autem ab impotentia . Et quanuis deformitas illa,quã Theologi dicũt, ſit priuatio alicuius perfectionis , quæ actui poterat adeſſe : tamen actio toto genere mala, eſt actio poſitiua, nec in illa eſt priuatio alicuius perfectionis,quoniam nulla poterat adeſſe,niſi fortaſsis, vt confertur cum bona,dici debeat imperfecta. quoniam nigrum ſi cõparatur cum albo imperfectum & priuatio nuncupatur à Philoſophis;quia omne contrarium imperfectum , priuationem appellant. Quare ſentias cum Alexandro, qui inquit,cauſam indifferentiæ eſſe priuationem : & cauſam mali,eſſe materiam, velut iam demonſtratum fuit . Cùm igitur homo conſtet intellectu & ſenſu,qui à corpore originem trahit,cauſam mali habet ſuæ ſubſtantiæ immixtam : atque iccirco cum ſenſum ſequitur,eligit malum , quod à materia proficiſcitur.Et quoniam materia eſt cauſa defectus, fortaſſe illi cum defectum dixerunt , intellexerunt non promanare à forma . Et cùm ipſi dicunt,electionem eſſe cauſam:tu rectius dicas,fieri à ratione,aſſentiente ſenſu. Verùm hæc prolixius & vberius excutiuntur, in libro de Arbitrio humano.Cæterùm qui ſpiam noſtram reſpõſionem impugnare poterit.nam

si malum non patratur ignoratione vel defectu, aperte videtur esse concedendum, malum vt malum expeti, cum facultas nostra per se illud efficiat. Alexander hic sentit, fatendum esse, malum qua malum expeti posse. & adfert hoc signum. Nam cùm qui flagitium committit, à quo filios suos coërcet, punitque si admiserint: (quod de Octauio fertur, qui grauiter animaduertebat in illa vitia, quibus ipse pallebat.) cognoscit is se delinquere, eligitque sponte sua malum, vt malum est. Est tamen illud malum, vt obiicitur rationi: vt verò sensus affectum ac concupiscentiam mouet, videtur esse bonum, quia delectat. Similiter incendere ciuitatē, malum quidem; attamē si vindictæ causa fiat, habet rationem boni. Sic mortem perditè exoptare, malum profectò est: verumtamen vt à præsentibus malis liberat, boni speciem præse fert. Sed de his hactenus, satis est enim locum monstrasse. Accedamus iam ad id quod quarto loco fuit propositum, videamusque circa quæ hęc libertas versetur, & quousque pertineat; vt tandem huic disputationi finem imponamus. Scire itaque licet, eò pertinere deliberandi facultatem, quò deliberatio. at deliberatio, pertingit vsque ad ea, quæ à nobis sunt eligibilia. igitur ad illa quoque arbitrium, quod est deliberandi facultas pertinet. quare non ad finem; quoniam finis non eligitur. est enim finis idem quod obiectum in actionibus atq. in intellectu practico. Sed obiectū, vel vt verè bonum, vel vt apparens, naturaliter mouet. ergo eorum quæ naturaliter mouent, non est electio: finis igitur non est electio; sed mediorum, quibus finem consectamur. nam cùm ea multa sint ac diuersa, deliberatione & cōsilio opus est. quare & electione. Electio porrò non videtur circa ea

quæ nullo modo fieri possunt. absurdum enim esset deliberare, an cœlum ruet, & an immortales simus. Multò minus circa necessaria, quę semper, eodemque modo eueniunt. stultissimum enim esset, ac planè rudis ingenii, consultare, an cras Sol erit super terram. Deinde, nec circa ea quæ fiunt à natura, aut fortuitò: cùm eorum actiones ope nostra immutari, aut nostra cognitione quo pacto eueniant, inuestigari nequeant. Postremo nec eligimus ea, quæ ab alio perfici debent. nam quis nostrum eliget ea, quæ ab Aethiopibus sunt peragenda; quòd supraquoq. monuimus? Eorum igitur sola est electio, quæ nostra facultate consequi possumus: atque hæc duo sunt, velut ex iam declaratis patet. nam cùm intellectus sit natura nostra, ipse intelligit & vult. atque vt intelligens, ad contemplabilia: vt volens verò, ad agibilia, & ad ea quæ fieri possunt, pertinet. Valemus enim decernere, & vt philosophemur, & vt operemur secundum virtutes & artes quasdam. non enim omnes licet complecti, cùm terminus nobis sit præfixus, vltra quem progredi non datur. qui in contemplatione, est eniti vt possimus ipsas intelligentias cognoscere: in actionibus verò, summam adipisci perfectionem, & consequi virtutem illam, quam heroicam Aristoteles nominauit. Itaq. nequimus per speculationem in deos abire; nec per virtutem moralem omnes affectus deponere; sed iis moderari solùm. opus enim est virtute ac gratia supranaturali. Quare ex philosophorum sententia, non est in nobis vt omnino nō peccemus, cùm intra nos sit peccatum: nec cohibere, quò minus in patratum iam malum iterum relabamur. quin nec in bono perseuerare, cum multis euentibus labefactetur. sunt enim multæ occasiones & causæ, quæ nostram

ſtram adeò in anguſtum redactam libertatem depræ dentur. Primum enim in nobis eſt ipſa perturbatio, quam ſenſus adferunt, adeò aſsiduus actionũ comes, vt vix reprimere liceat. quod exemplo planum fit. nã ſi quis forte fortuna duos gladiatores in theatro dimicãtes offenderit, an non quæſo ſimul atque vtrun que conſpexerit, iam ita erga alterum afficitur, vt cupiat alterum ſuccumbere? Aut ſi quis in aleatores inciderit vel ignotiſsimos, nonne ita erga hunc vel illum affectu mouetur, vt quencunque fuerit animo complexus, illum deſideret cum victoria & quæſtu diſcedere? idque ob naturæ quandam communionẽ, vel ſympathian. Quod cum ita eſſe vno ore omnes fateantur, optimè Ariſtoteles ſenſit tertio Politicorũ Remp. melius à lege, quàm ab homine adminiſtrari. nam quis ſperet hominem adeò affectibus præpeditum, rectum ferre poſſe iudicium? Eſt & alia cauſa, quæ nobis libertatem diripiat, habitus ſcilicet obfirmatus; qui non patitur nos aliò trahi, quàm quò ipſe duxerit. Adhæc, eſt obiectum, quod cùm natura moueat, mentem ad hoc quàm ad illud reddit propenſio rem, vt in dignoſcendo vero plurimum laboremus. Eſt præterea naturæ ipſius propẽſio, quæ ad hoc, quã ad illud magis prona abripitur. Inſuper eſt carentia, quæ impellit ad id quo caremus. nam quid non mortalia pectora cogit fames, ſitis intolerabilis, ac turgẽs effrenisque libido? Eſt poſtea cœlum ac ſydera, quæ temporum viciſsitudinibus, ita corpora noſtra calore ac frigore afficiunt ac diſponunt, vt aliàs ad iram, & arma capeſcenda, aliàs ad quietẽ & ocium ſint aptiora. adeò vt octauo Phyſicorum auſus ſit dicere Philoſophus, eos motus vſq. ad intellectum pertinere. Eſt tandem quam nonnulli addunt, Dei præſentio, quæ

itade nobis decernit, vt ab æterno futurum prœuidit. Quod cùm Alexãder animaduerteret, in libro de Fato, monet potius credendum esse, Deos sic nostra intelligere vt sunt: ac contingenter quædam euenire, quædam verò necessãriò; quàm apertè sensibus reluctari: indicans contingẽtia esse in hoc mũdo, & quandam in actionibus nostris libertatem. Prætermitto hoc loco quærere, quomodo fatis agamur. nam cùm idem sit fatum, & naturæ inclinatio; illi dicuntur viuere secũdum fatum, qui naturæ impetum, (ita ὁρμὴν exponimus,) vt appetitionem vt placuit ciceroni & inclinationem sequũtur. Hoc quoq. sentit Homerus, vt Philoponus, & Simplicius explicarunt, cum ait,

Talis quippe viris meris est mortalibus ipsis
Qualem quottidie concedit Iuppiter almus.

Volũt enim homines ita affectũ sequi, prout cœlum corpus afficit, in iis scilicet, in quibus nihil rationis emicat. Sed hæc omnia libro de Fato copiosius & exquisitius declarauimus.

Vides mi Læli, quàm angusti sint nostri arbitrii limites, quot hostibus circũueniatur, quótue sint eius libertatis prædones: nullo pro eo stante propugnatore, qui defendat, præter Christum, per quem datum est filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius. Quare quo pacto ab iis nos tutari possimus, non ab his petendum est, qui, dum alius ipsum ita extollit, vt in cœlum euehat; alius ita deprimit, vt planè prosternat, atque è medio tollat, nihil synceri docent, omnia interim confundentes. Sed partim à Philosopho est postulandum, qui hominis naturam explicat: partim à Theologo, qui cùm maioribus opus sit viribus, quibus per Christum gratia à Deo aduersus eos muniamur, docere potest. Nec te Stoicorum ratio moueat,